queſiti inueniri nõ poſſent. et deciꝰ doleret ꝙ ta
les iuuenes ꝑdidiſſet. accuſati ſũt in monte celio
hucuſqꝫ latuiſſe. et ſua paupibꝰ erogãtes in ſuo
ꝓpoſito ꝑmanere. Iuſſit ergo deciꝰ ut ꝑentes eoꝝ
adeſſent et cõminatꝰ eſt eis mortẽ niſi de eis dice
rent quicq̃d ſcirẽt. Illi aũt eos ſimiliẽ accuſauerũt
et diuitias ſuas paupibꝰ expẽdiſſe cõqueſti ſunt.
Tũc cogitans q̃d de eis faceret. nutu dei iuſſit os
ſpelũce lapidibꝰ obſtrui vt ibi morerenẽ fame et
inopia circũcluſi. Qď miniſtri quidẽ fecerunt et
duo xpiani theodorꝰ et rufinꝰ eoꝝ martirium de-
ſcribentes caute inter lapides poſuerũt.

XLVI. Paſſio ſanctoꝝ petri et pauli cũ ſocijs ſuis. Ex geſtis eoꝝ.

IMꝑante decio apud lamoſacũ comphẽ
ſus eſt petrꝰ et optimo ꝓconſuli oblatꝰ
Qui cũ xpianum ſe eſſe cõſtanẽ ꝓfiteretur.
ꝓconſul iuſſit eundẽ adoleſcentulũ ſpecioſuꝫ
in rotis tendi. et ad ligna in circuitu poſita vincul'
ferreis totuꝫ corpꝰ eiꝰ fecit ꝯſtringi. Quo ꝯtorto
effracta minutatim oſſa eiꝰ defecerunt. At quãto
torquebaẽ. tãto fortior appebat. et tirãni ſtultici
am ridens xpo gratias agebat. Cuiꝰ ꝓconſul ꝑſe
uerantiã videns iuſſit euꝫ gladio ꝑcuti. Et cuꝫ ad
ciuitatẽ troadem ꝑrexiſſet. oblati ſunt alij tres. an
dreas paulꝰ et nichomachꝰ. Qui cum oms xpia-
nos ſe ꝓfitenẽ eſſe. iuſſit nichomachuꝫ apphenſuꝫ
ꝓconſul torqueri. Cũqꝫ nimiuꝫ torq̃reẽ & iã ꝓpe
eſſꝫ vt emitteret ſpirituꝫ exclamauit ſe nunꝙ fuiſ
ſe xpianum ſed demonibꝰ ſacrificatuꝝ. Tunc iuſ
ſus deponi cum ſacrificaſſet arreptꝰ eſt a demo-
nio. et eliſus ĩ terra comedens linguã ſuã dentibꝰ
expirauit. Puella autẽ quedã virgo dioniſia anno
rum. xvii. exclamauit dicens. O te infideliſſimum
hoĩm q̃ ꝓpẽ vniꝰ hore ſpacium ꝑpetuã et inenar-
rabilem tibi penã acq̃ſiſti Interrogata ergo ꝯfeſſa
eſt ſe xpianam eſſe. et ideo infelicem illum plãge-
re. ꝙ nõ adhuc modicuꝫ toleraſſet. vt ꝑpetuã re-
quiem inueniret. Procõſul iuſſit eã duobus iuue
nibus corrumpendã tradi. andreã v̊o et paulum
recludi. Cũqꝫ iuuenes virginem ad hoſpitiuꝫ ſu
um duxiſſent. pugnantibꝰ eis vſqꝫ ad noctem vt

vim turpitudinis inferrent · inardeſcebat eoꝝ libi
do · Apparuit aũt eis p̄ totã noctẽ iuuenis ſplẽdi
dus domũ illuminãs · Vnde timore ꝑcuſſi cecide-
runt ad pedes virginis · rogabãtqꝫ vt ꝓ eis inter
cederet ne quid mali eis ꝯtingeret · Videẽs aũt ꝓ-
conſul ꝙ nõ poſſet pauli & andree ꝑſeuerantiam
ſupare flagellis ceſos tradidit eos populo q̃ tra
xerunt eos pedibꝰ extra ciuitatem vt lapidarent̃
Qđ audiens dioniſia cuſtodibꝰ euadẽs cucurrit
ad eos · iactauitqꝫ ſe ſup eoꝝ corpa dicẽs · Conci-
dar & ego vobiſcum beati famuli dei · nec ab hac
colluctatõe veſtra inueniar aliena · Qđ audiẽs ꝓ
conſul iuſſit eã gladio interfici · Paulꝰ vero & an
dreas lapidibꝰ obruti ſũt · ·XLVII·

De ſancto puero triphone · Ex geſtis eiꝰ ·

Sub decio quoqꝫ paſſus eſt ſanctus tri-
phon q̃ ab infantia ſua multis miraculis
claruit in ciuitate ſanſaducome · a matre
ſua caſte inſtructꝰ · & a ſpũſancto & ab angelis
nutritꝰ · Venit ad eũ aliq̃n mulier ceca ſemiarida
& a · x · demonibꝰ obſeſſa · Quã videẽs ille paucfa-
ctus eſt · & ſupra caput eis manꝰ impoſuit & ora
uit · Demones aũt clamabãt dicẽtes · A · vii · anno
rum infante in gehennã mittimur · Cunqꝫ ſanctꝰ
triphon vrgerꝫ eos exire · clamauit demon · Rome
habeo ambulare ꝓpter triphonẽ · vt & ibi ad me
veniat vocatꝰ · Tunc ꝯcutiens mulierẽ & ſpumãs
egreſſus eſt ab ea · Que ante pedes ſãcti triphoĩs
cecidit · et ille ſignum crucis faciẽs · manus ſup ca
put eiꝰ impoſuit & ſanata eſt & vidit · Demõ vͦ
romã abiens cuiuſdã ꝓconſulis ſenatoris vxorem
grauiter vexauit · Et tercio die ſanctũ triphonē
vocare cepit · Tũc p̄ dies multos querẽtes p̄ ciui-
tates & villas · vix inuenerũt beatũ triphonẽ ĩ pa
ſcuis oues paſcentẽ · & poſitũ ſup aĩal duxerũt ro
mam · Ibiqꝫ expulſo demone a muliere · nocte rap
tus a quattuor angelis reductꝰ eſt ſanſaducome
in patria ſua · Iurgianꝰ aũt ceſar rome filiam habe
bat vnicã · ꝙ cũ vexaret malignus ſpũs · clamabat
vocans triphonẽ quondã aucariũ · Iurgiano igit̃
triſtante & dolente · hortati ſũt eũ ꝯſiliarij · vt ad
inquiſitõem ſãcti triphonis mitteret · quẽ ſolũ ſe-
pius inuocãs immũdus ſpũs metueret · Miſſi ita-
qꝫ milites requirebãt vbiqꝫ triphonẽ aucariũ · Et
toto pene orbe cõmoto · multi cõprehẽſi ſũt q̃ hoc
nomine vocabant̃ · Sꝫ cũ ad puellã ducerent̃ · ne-
mo eã ſanare poterat quia · nõ erat ĩ ipſis q̃ in ve-
ritate querebat̃ · Tũc milites p̄ oĩs ꝓuĩcias per
quirentes · inuenerũt beatũ pueꝝ ſanſaducome ia
centem iuxta ripã lacꝰ · vbi & paſcebat aucas ĩ pa
lude aquaꝝ · Quẽ interrogauerunt ſi ip̄e eſſet tri-
phon qui querebat̃ · Ip̄e vͦ ꝯfeſſus eſt ſe eſſe qui
querebat̃ · Quẽ ſtatim equo imponẽtes miſerunt
impatori · Cunqꝫ appꝓinquaret ciuitati · clamabat
ſpũs malignꝰ dicẽs · Nõ poſſum habitare in hac
puella · quia poſt tres dies ſupueniet rome q̃ acce
pit aduerſꝰ nos poteſtatẽ calcare ſup ſcorpiones
& diſpdere eos · Et clamãs immundꝰ ſpũs egreſ-
ſus eſt a puella & ſanata eſt Impator aũt notauit
diẽ & horã ĩ qua ſanata eſſet puella & aueniſſꝫ
ſanctꝰ triphõ rome · Et hoc audito impator agno
uit ip̄m triphonẽ ꝓpterea qꝛ poſt tres dies adue-
niſſet rome quãdo ſanata fuit puella · dep̄cabat̃qꝫ
eum vt ſi ſanaſſet eã oſtenderet illi demonẽ · Cuꝫ
aũt ieiunaret & dep̄caret̃ dñm vir ſanctus ſuper
hoc ꝯfeſtim appuit dyabolꝰ in ſpecie canis nigri ·
caudã habens ingentẽ demiſſã deorſũ · Quo viſo
metu territꝰ impator orabat ſãctum triphonẽ vt
ab eiꝰ ꝯſpectu illũ iuberet abſcedere · Qđ cũ feciſ
ſet nocte ab angelis raptꝰ venit in ſanſaducome
ciuitatẽ ſuã · vbi p̄ eũ dñs multas virtutes oſten-
dere dignatus eſt · ·XLVIII·

De paſſione eiuſdem ·

Tandem impante decio a militibꝰ cõpre-
henſus & ligatꝰ ductꝰ eſt in nicenã ciui
tatẽ ad p̄fectũ acquilinũ · Cunqꝫ ꝯfite-
ret̃ ſe eſſe xp̄ianũ · requiſitꝰ cuiꝰ eſſꝫ fortune dixit
Fortuna apud xp̄ianos nõ eſt nec fuit · Si vis aũt
ſcire · ingenue ſũ ꝯuerſatõnis · Sed qđ maximũ &
egregiũ eſt & qđ ſapio diſce · xp̄ianꝰ ſũ · Hoc au-
diens p̄fectꝰ · timens ſi nõ obediret ꝯſtitutõni im
patoris · iuſſit eũ ſuſpenſũ vngulari · Ipſe quoqꝫ
ꝓmpte exuens indumentũ & ꝓijciẽs ſup terram
caſtum atqꝫ pulcerrimũ corpꝰ ſuũ circũſpiciens
cũ alacritate gaudij dabat ſemetipſũ ſuſpẽdi ſup
lignũ ante manꝰ aptans · Dixit aũt p̄fectꝰ queſti
onarijs vt vngues ferreos afferrẽt · et eiꝰ ſtulticiã
tangentes coercerent · Cunqꝫ vngularet̃ · nll'a vox
egrediebat̃ ab eo · ſed immobilẽ habebat cogitatõ
nem in fide xp̄i · Prefectꝰ aũt iuſſit eum alligatuꝫ
equis p̄ campos trahi · cum eſſet grauiſſimis niui
bus hyems aſpa · & diſſipabant̃ eiꝰ mẽbra ab eq̄s
p̄ terrã conculcata · Exclamãte aũt eo · dñe deꝰ ne
patiaris hãc michi dominari iniquitateꝫ · ſtatim li-
beratus eſt · Iuſſitqꝫ p̄fectꝰ fixorios deferri · ac pe
dibus eiꝰ infigi · & ſic p̄ mediã ciuitatẽ p̄ niueꝫ &
glaciem deduci · Nec ſic aduerſꝰ cuꝫ dyabolꝰ pre
ualuit · Sed interrogatꝰ a p̄fecto vtrum ſenſiſſet
tormenta reſpõdit · Ex toto nõ ſenſi ꝙ & inſinſt
claui pedibꝰ meis · Mirãte vͦ p̄fecto tm̃ ſuſtenta
culum eiꝰ & iteꝝ cogitãs que eſſent tormẽta que
non cõtemneret · iuſſit eum ſuccinctuꝫ fuſtibꝰ ce-
di · deinde lampades lateribꝰ eiꝰ apponi · Queſtio
narijs citiꝰ adimplentibꝰ que iubebat · & offeren
tibus illi lampades · viderunt a ſplendore ſolis lu
men circumluſtrãs eum · & coronã varijs lapidi
bus exornatã ſup caput eiꝰ allapſã · ſpecie vẽo &
pulcritudine ſimilit̃ p̄cellenteꝫ et a timore corrue
runt in terrã · Tandeꝫ iuſſit eum p̄fectꝰ gladio in
terimi · et martirizatus eſt · iii · nonas maij ·

·XLIX· Paſſio ſanctorum
abdon et ſenne · Ex geſtis eorum ·

Cum ãt deciꝰ impator babiloniã cũ alijſ
ꝓuĩcijs ſuperaſſet · quoſdã ibi chriſtia
nos inuenit · quos ſecuꝫ ad vrbeꝫ cordu
lam deducens diuſis ibi ſupplicijs ꝯſummauit · et
eos duo ſubreguli rapientes · ſ · abdon et ſennes ſe
pelierunt · Vnde accuſati et decio p̄ſentati · romaꝫ
poſt eum vincti cathenis ducunt̃ · et in cõſpectu
decij et ſenatꝰ introducti · aut ſacrificare et liber
tatem reꝝ ſuaꝝ recipere · aut morſibꝰ beſtiaꝝ de
uorari iubent̃ · Contemnentes itaqꝫ et expuentes
ſimulacꝝ · ad theatꝝ perducunt̃ · et ad eos duos
leones et vrſi quattuor immittunt̃ · Qui cum ſan
ctos nõ tãgerent ſed etiã cuſtodirent · iniectis in
eos gladijs occidunt̃ · et ligati pedes tracti ſunt
et iactati ante ſimulacꝝ ſolis · Qui cuꝫ ibi triduo
iacuiſſent · quirinꝰ dyaconꝰ eos collegit · et in do
mo ſua ſepeliuit · ·L·

De cõuerſione ſecundiani et veriani et marcel
liani · Ex geſtis eorum ·

Sub decio quoqꝫ ſecundianꝰ togatꝰ vna
cum veriano p̄fecturã agens in xp̄ianoſ
ſeuiebat · Qui · ſ · ſecundianꝰ tandẽ ſecũ

tacitus cogitare cepit· cur xp̄iani tanto amore fla
grantes mallent ꝓ xp̄i nomine duriter mori· q̄ꝫ de
licate viuere & blandis ꝑſuaſionibꝰ principū aſ-
ſentire· Cunqꝫ eſſet eloquentiſſimꝰ & oīm ſciētia
rum ſeculi ꝑitiſſimꝰ marcellianū qui & ipſe ſapiē
tiſſimꝰ erat· et chriſtianoꝝ ꝑſecutor ad domū ſuā
inuitauit· & cū eo de varijs artium ſermonibꝰ di
ſputauit· Tandē ad artē grāmaticā ſmonē retor
quentes ad locū virgilij veniūt· vbi de interp̄ta-
tione ſeculi noui loquētes· velut apparēte dn̄o in
carne renouatꝰ eſt mundus· ita tp̄e octauiani ad
cuiꝰ laudē ſuos deſcribit libros dicit aurea ſecula
hoc modo naſci· Magnꝰ ab integro ſeculoꝝ naſci-
tur ordo· Iam redit & virgo redeunt ſaturnia re-
gna· Iam noua ꝓgenies celo dimittit̄ alto· Tu mo
do naſcenti puero quo ferrea primū Deſinet· ac
toto ſurget gens aurea mundo· Cūqꝫ ſolicite per
quirerent de quo virgiliꝰ hoc dixiſſet· cepit ſecū
dianus loqui de xp̄ianis qui tāto flagrabāt amore
vt ꝓ noīe chriſti mallent mori· q̄ꝫ ydola adorare·
Ayūt em̄ inquit reſurrectionē & iudiciū fore pꝰ
mortē· illāqꝫ vitā quā poſt iſtā caducā expectant
futurā ꝑpetuā & immortalē vbi nullꝰ dolor et ge
mitus· ſed pax & ꝑhenne gaudiū· ydola vͦ q̄ nos
adoramꝰ deꝰ eoꝝ omīmodis abhoīatur xp̄s· Sup
hijs marcellianꝰ admirās ait· Quid eſt xp̄s· At il
le reſpondit· Chriſtꝰ dicit̄ vnctꝰ· Nunq̄d non le
giſti q̄d eius hiſtoriographi dicāt· cū .ſ. mortuos
ſuſcitaſſe· leꝓſos mundaſſe· cecū natū illuminaſſe
Hijs eiꝰ ſignis xp̄iani fidem dantes ꝓ eiꝰ ardenti
amore coronari deſiderāt· Vnde & ego credo q̄ꝫ
ipſe eſt deꝰ & dei filiꝰ qui crucifixꝰ & mortuꝰ· et
poſt triduū reſuſcitatꝰ ad celū aſcendit· Quādo
etiā aut a quo auditū eſt d͛os noſtros talia feciſſe
quos ſcimꝰ ſemꝑ ſordidiſſime ac turpiter vixiſſe·
Hijs & alijs eiꝰ verbis ꝯſenſiſſet marcellianꝰ· ter
cius quoqꝫ amboꝝ noīe verianus· Hos tres itaqꝫ
timotheꝰ noīe p̄ſbiter accerſitꝰ baptizauit· San-
ctus vͦ papa ſixtꝰ eoſdē ꝯſignauit· LI·

De martirio eorundem·

POſt hoc ſecundianꝰ a valeriano p̄fecto
requiſitus· introiuit ad eum & ſbito im
mutatꝰ eſt vultꝰ eius tāq̄ꝫ vultꝰ angeli
Valerianꝰ ob tanti lumīs fulgorē ſtupefactꝰ· ip
ſum interrogatū· & in xp̄ianitatis ꝓpoſito perma
nentem· iuſſit in cuſtodiā retrudi· Qui cū comp̄-
henſus duceret̄ a militibus· marcellianꝰ & veria
nus clamabāt· Et quid innocentē in cuſtodiā re-
truditis· Si ꝓ ꝯfeſſione xp̄i noīs hoc a vobis pa-
titur· & nos xp̄iani ſumus qui eū ꝓ amore chriſti
ad palmā martirij ſequimur· Tunc iratus valeria
nus· eos cū illo ſimul in cuſtodia mancipari iuſſit
& ceſari ſecundianū xp̄ianū effectū nūciauit· Q̄d
ille vix credens· eum ad ſe deduci p̄cepit & ait· O
ſecundiane cur immutatus eſt vultꝰ tuꝰ· Qui re
ſpondit. Clarior & hilarior eſt nūc vultꝰ meꝰ ſo
lito· quia iā in ꝯſpectu regis eterni ꝯtemplatione
mentis aſſiſto· qui me de tenebris ad lucē ꝑduxit
ſue viſionis· Deniqꝫ iuſſu decij viri ſancti ducti
ſunt centumcellis· & traditi quarto ꝓmoto ꝯſu
lari tuſcie· Qui cū eos iuberet ſacrificare & nol-
lent acquieſcere iuſſi ſunt expoliari & fuſtibꝰ cedi
Deinde illis in ſimulacꝝ expuentibꝰ ſbito cecidit
& ꝯfractum eſt· Tunc ꝓmotꝰ iuſſit eos ī eculeo
ſuſpendi· & latera eoꝝ vngulis capraꝝ radi· Illis
aūt inter hec deo gratias agentibꝰ & orātibus· ꝓ
motus iuſſit ad eoꝝ latera flamas adhiberi· Cūqꝫ

diu aſſarent̄· repente vnꝰ ex miniſtris qui ceteris
acrius ad penā inferendā inſiſtebat mortuus eſt·
Ceteri vͦ a demonibꝰ arrepti clamare ceperunt·
O ſācti dei vt q̄d nos veſtris torq̄tis oratōnibus
Nā hec eadem tormēta q̄ vobis iniuſte inferimus
nos irremediabiliter cruciāt· Vobis āt nichil ma-
li p̄ſtant· Videns hoc ꝓmotus iuſſit ſanctos dei
capite truncari· & eoꝝ corꝑa in mare precipitari
Que tn̄ dei ꝓuidētia de ꝓfundo ad litus applicu
it· & ea ſ͛uus dei deodatus nocte colligēs ſepeli-
uit ſecꝰ locū· vbi decollati fuerāt· v· idꝰ auguſti
LII· De ceteris paſſis ſb decio

Ex martirilogio·

PReterea· iiii· kl'· marc· celebrat̄ ī ciuitate
ꝑgen pāphilie· natale ſc̄i neſtoris epiſco
pi· Qui ꝑſecutōne decij cū die noctuqꝫ
oratōi inſiſteret· poſtulās vt xp̄i grex cuſtodiret̄
comp̄henſus nomē dn̄i mira libertate & alacrita
te cōfeſſus atqꝫ eculeo crudeliſſime tortꝰ· exinde
crucis ſuſpēdio victor migrauit ad dn̄ꝫ· Itē· xvii
kl'· maij· apud ꝑſidem ciuitate cordula· ſanctoruꝫ
olimpiadis & maximi nobiliū· Qui iubēte decio
fuſtibꝰ ceſi· & deinde plumbatis· Ad vltimū ca-
pita eoꝝ ſecuribꝰ ſunt tunſa· donec emitterēt ſpi
ritum· Itē pridie· kl'· eiuſdē apud lambeſitanā vr-
bem· ſanctoꝝ marciani lectoris et iacobi dyaconi
Quoꝝ prior cū iā pridē infeſtatōes decij in ꝯfeſſi
one euiciſſet· iteꝝ cū cariſſimo collega tentus eſt·
Deinde poſt dira & exq̄ſita ſupplicia· diuinis reue
lationibꝰ mirabiliter ſecūdo ꝯfortati atqꝫ alleua
ti· nouiſſime cū multis ſunt alijs gladio ꝯſūmati·
Itē· xiiii· kl'· iunij rome via appia ſanctoꝝ caloceri
& parchemij eunuchoꝝ· Quoꝝ prior cū eſſet p̄po
ſitus cubiculi impatoris decij· alter primicerius
nolentes ſacrificare ydolis ab eodē occiſi ſūt· Iteꝫ
iii· nonas eiuſdē apud arecīū ciuitatem tuſcie· ſan
ctorum ꝑgentini & laurētini fratꝝ· Qui ꝑſecutō
ne decij cū eſſent pueri· poſt dura ſupplicia tolera
ta· & magna miracula oſtēſa· gladio occiſi ſūt Itē
vij· idus iulij in ciuitate tiro paſſio ſanctoꝝ ana
tholie et audacis ſub decio impatore· Quoꝝ ana
tholia chriſti virgo diūſis plagaꝝ generibus vexa
ta· nouiſſime gladio trāſuerberata in oratōne eſt
Audax quoqꝫ in cuſtodia datus· nec mora· capita
li ſn̄ia eſt coronatus· Itē· xv· kl'· noueb̄· ſācti aſcle
piadis antiocheni epiſcopi· q̄ vnus fuit ex p̄recla
ro ꝯfeſſoꝝ numero· qui ſb decio glorioſe paſſi ſūt
Itē· iii· non̄· nouemb̄· apud ceſareā capadocie· ſan
ctorum germani· theophili· ceſarij et vitalis· qui
om̄s ſub ꝑſecutōe deciana duxerūt martiriū· Iteꝫ
xviii· kl'· decemb̄· alexādrie ſācti ſerapionis· quem
ꝑſecutores ſub decio p̄ncipe crudeliſſimis affece
runt ſupplicijs· ita vt om̄s ei iuncturas membro
rum priꝰ ſoluētes de ſupioribus eū precipitarēt
ac ſic chriſti martir effectꝰ eſt· Itē· vii· idus decē
bris apud alexandriā natale beati agathonis mar
tiris ſub decio impatore· Qui cū eſſet militaris et
ꝓhiberꝫ quoſdā volētes illudere cadaueribꝰ mor
tuoꝝ martiꝝ· clamor repēte totiꝰ vulgi aduerſus
eum extollit̄· et ob hāc cauſā ꝓ pietate capite dā
natus eſt· Item· xix· kl'· ianuarij· alexādrie ſancto
rum martiꝝ heronis· arſenij· yſidori· et dioſcori
pueri· Quos iudex ſub ꝑſecutōe deciana varijs
tormentis delanians· cū pari modo ꝯſtantia fidei
videret armatos· tradi ignibus iubet· Dioſcorus
vero multipliciter flagellatus diuino nutu ad cō
ſolationē fideliū dimiſſus eſt· Item· x· kl'· ianuar·

rome ſancte victorie virginis ſub ꝑſecutore decij
imperatoris· Que cũ eſſet deſpõſata a quodã paga
no· & nec nubere nec ſacrificare vellet· poſt m̃lta
facta miracula· inter que plurimas deo virgines
agregauerat ꝑcuſſa eſt gladio in corde a carnifice
rogatu ſponſi ſui· Itẽ· ix· kl'· ianuarꝫ· apꝺ antiochi
am ſirie· ſanctaꝝ virginũ· xl· que ſub deciana ꝑſecu
tione ꝑ diũſa tormẽta martiriũ conſũmauerunt·
Hugo vbi ſupra· Deniqꝫ nõ poſſumꝰ euolue
re quãte multitudines hoc ꝑſecutoris igne furẽte
in deſertis· & in montibꝰ latitantes· fame ſiti· fri
gore· languore· latronibꝰ· beſtijſqꝫ ꝯſumpte ſũt·

·LIII· De impio galli & voluſia
ni & hereticis non rebaptizandis·

POrro decijꝰ nõ totis duobꝰ annis princi
patu romani apicis admĩſtrato· cũ filio
ſuo quẽ ceſarẽ legerat ĩ medio barbaro
rum ſinu interfectꝰ· regnũ cũ vita ꝑdidit· Poſt
hunc gallus hoſtilianꝰ cũ filio ſuo voluſiano poti
tus regno· imperauit vix annis duobꝰ· Euſebiꝰ
in cronicis· Cepit anno dñi· cc· liiii· mundi vero qr
timilleſimo· cc· & xvii· Hugo· Huiꝰ regnũ cũ
floreret in initio· & cuncta ei ex ſñia cederẽt· ſan
ctos viros qui ꝓ pace & ꝓſperitate regni eiꝰ do
mino ſupplicabãt ꝑſequi cepit· cũ quibꝰ pariter pro
ſperitatẽ ſuã fugauit & pacẽ· Sed exorta ꝑſecuti
one· exorta eſt vltio violati nominis xp̃iani· et vſqꝫ
ad ꝓfligẽdas eccleſias edicta decurrerũt· eatenꝰ
incredibiliũ morboꝝ peſtis extendit̃· Nulla fere
ꝓuincia romana· nulla ciuitas· nulla domus fuit·
que nõ illa generali peſtilentia correpta atqꝫ eua
cuata ſit· Hac ſola ꝑnicie· inſignes gallꝰ & volu
ſianꝰ dũ ꝯtra emilianũ nouis rebꝰ ſtudentẽ bellũ
moliunt̃ ciuile· occiſi ſũt· Emilianus quoqꝫ tercio
menſe inuaſe tirãnidis extinctꝰ eſt· Haimo vbi
ſupra· vii· li· Per idẽ tp̃s exorit̃ queſtio in africe
ꝑtibus de hereticis rebaptizãdis vel nõ· Placetqꝫ
cipriano cartaginenſi ep̃o debere eos rebaptizari·
Sed cornelio ceteriſqꝫ occidẽtalibꝰ ep̃is manet po
tius hec ſñia· poſt abiectionẽ praui dogmatis ſo
la eos manꝰ impoſitiõe eſſe purgãdos· LIIII·
De ſãcto papa cornelio & ſcriptis eiꝰ Actor·

HInc ꝓbat̃ corneliꝰ in papatu ſediſſe tem
poribꝰ galli & voluſiani· qꝺ etiam dicit
hieronimus· Liber tñ romanoꝝ pontifi
cum dicit eũ paſſũ fuiſſe ſub decio· Deciũ aũt con
ſtat ante gallũ & voluſianũ imperaſſe· Sꝫ dicit heli
nandus gallũ vocatũ fuiſſe decium· & ſcd̃m hoc
binomius fuit· Ciprianꝰ ad antonianũ· Corne
lius cariſſimꝰ noſter in diuinis adminiſtratõibus
dum ſepe ꝓ meritis ad ſacerdotij ſublime faſtigiũ
cunctis religionis gradibꝰ aſcẽdit· Tunc deim de
ep̃atuꝫ ipſũ nec poſtulauit nec voluit· Pro pudo
re quoqꝫ virginalis ꝯtinentie ſue & humilitate in
genite ſibi & cuſtodite verecũdie· nõ vt quidam
vim fecit vt ep̃us fieret· ſed ip̃e vim paſſus eſt vt
ep̃atum coactꝰ acciperet· cũ fabiani locꝰ· id eſt lo
cus petri & cathedra ſacerdotalis vocarꝫ· Hie
ronimꝰ de illuſtribus viris· Cornelius vrbis ro
me ep̃s ad quẽ extãt quiqꝫ epiſtole cipriani· Scri
pſit epiſtolaꝫ ad flauianũ antiochene eccleſie ep̃m
de ſinodo romana & ytalica & affricana· Et aliã
de nouaciano & de hijs q̃ lapſi ſunt· Terciã de ge
ſtis ſinodi· Quartã ad eundẽ flauianũ valde ꝓlix
am & nouaciane hereſeos cauſas & anathema cõ
tinentẽ· Rexit eccleſiã ſub gallo & voluſiano annis
duobꝰ· Cui ob xp̃i martirium coronato ſucceſſit
lucius· ·LV· De paſſioni
bus eiuſdem Ex geſtis eiꝰ·

AVdiens etẽm decius ceſar ꝙ ipſe papa
corneliꝰ multos ad xp̃m ꝯuerteret· p̃ce
pit vt vbicunqꝫ inuenti fuiſſent xp̃iani
ſine audientia punirent̃· Corneliꝰ ergo cũ ſuis cle
ricis cõprehẽſus exilio religat̃· vbi a cipriano car
thaginẽſi ep̃o & multis alijs ꝑ literas ꝯfortatus·
inde reductꝰ decio p̃ſentat̃· Et dũ immobilis per
maneret ꝑ lumbatis & flagris ceſus· ductꝰ ad tẽ
plum martis aut ſacrificare aut decollari iubetur
Cũ ergo ducerent̃ ad locũ· cerealis miles rogauit
eũ vt ad domũ ſuã diuerteret· & ꝓ vxore ſua ſa
luſtia que ꝑ quinquẽniũ ꝑalitica decũbebat orarꝫ
Quo facto· xx· & vnꝰ milites eã incolumẽ ſurre
xiſſe videntes cũ ipſa & viro eiꝰ baptizati ſũt· &
iubẽte decio ad templũ martis ſimul ducti· expuẽ
tes in ydolũ cũ beato papa cornelio decollati ſũt
Ex geſtis pontificum· Hic tp̃ibꝰ ſuis rogatus
a quadã matrona vicina corpa apoſtoloꝝ petri &
pauli de cathabumbis leuauit noctu· primũ q̃dẽ
corpus beati pauli beata lucina leuauit· & poſuit
in p̃dio ſuo in via oſtenſi iuxta locũ vbi decollatꝰ
eſt· Beati aũt petri corpꝰ accepit beatꝰ cornelius
& poſuit iuxta locũ vbi crucifixꝰ eſt· inter corpa
beatoꝝ ep̃oꝝ in templo appollinis in monte aureo
in vaticano palatio neronis· vj· kl'· iunij· Poſt hoc
iubente decio paſſus eſt· corpus eius noctu colle
git beata lucina cũ clericis & ſepeliuit ĩ cripta iu
xta cimiteriũ calixti in harenario via appia· xviii·
kl'· octob· Ex martirilogio· Preterea· xv· kl'· o
ctobris celebrat̃ rome via tiburtina natale ſãcti
iuſtini p̃ſbiteri· qui ꝑſecutione decij galli & volu
ſiani· ꝯfeſſionis gloria inſigniſſimꝰ fuit· LVI·
De impio valeriani et galieni et paſſione ſãcti
dioniſij alexãdrini· Euſebius in cronicis·

ROmanoꝝ igit̃· xxvij· imperauit valerianus
cum galieno annis· xv· Valerianꝰ in gre
cia ab exercitu auguſtꝰ· rome a ſenatu ga
lienus ceſar appellatꝰ eſt· Ceperunt aũt anno dñi
cc· lvj· mundi vero quartimilleſimo· xix· Idem in
eccleſiaſtica hiſtoria li· vij· Miro aũt modo valeri
anus ſupra ceteros qui ante ſe fuerunt humanus
et benignꝰ extitit erga famlos dei· ita vt in initijs
multo etiã illis benignior videret̃ qui nomine ſaltim
xp̃iani dicebant̃· Intm̃ venerabat̃ ſuos dei et oĩs
domus eiꝰ erat eccleſia dei· Deprauatꝰ aũt eſt et
a veritate deiectꝰ ꝑ quendã doctorẽ peſſimũ· ma
giſtrum et principẽ egiptioꝝ magoꝝ· vt et iuſtos
et ſãctos viros ꝑſequi· et interimi iuberꝫ· In qui
bus cũ dioniſius alexãdrinꝰ ep̃s vnũ ſolum deuꝫ
qui celum feciſſet et terrã diceret adorãdum· cete
ros aũt neqꝫ eſſe deos neqꝫ adorari debere· in ca
ſtrum q̃dam deſerti qꝺ cefro appellat̃ in exilium
trudit̃· ob hoc precipue electuꝫ ꝙ loci incole gen
tiles erant· et ydoloꝝ ſup̃ſtitõnibus ſatis dediti·
Quiqꝫ exuleꝫ dioniſium· primo hoſtili animo et ſa
tis aduerſa mente ſuſcipiunt· poſtmodũ vero cum
paulatim ꝑ dñi gratiã verbuꝫ dei hijs ſeminare ce
piſſet· pars maxima trucis et barbari populi reli
ctis ydolis ꝯuerſa eſt ad deuꝫ veꝝ· chriſtoqꝫ ſub
iecta· Quo cõperto· rurſus eum ad aliũ locum vi
cinum quidem alexandrie ſed incolis deſertum ac
pene habitatoribus vacuum trãſtulerunt· Sed et
ibi cuꝫ ꝓ vrbis vicinitate noſtroꝝ populi frequẽ
tarent· et tanq̃ odore paſtoris rcepto grex letior
et ꝯſtantior redderet̃ agonibus· rurſus miſſis cuꝫ

centurione militaribꝰ viris· ipſũ dioniſiũ & cum
eo gaiũ & petꝝ cathenis ꝯſtrictos & diũſis cru=
ciatibꝰ afflictos in deſertum quõdam libie ꝑtraxe
runt· Ibiqꝫ eos in loco ſqualidiſſimo· et omni vſu
humanitatis carente· a pereconio triduũ dieꝝ iti
nere in deſertum ꝓtento· nexos vinculis relique
runt· LVII. ¶ Paſſio ſancti
priſci alexandri malchi & marini·

Eo tempore apud ceſareã paleſtine mlta
a diuerſis martiria ꝯſũmata ſũt· In qbꝰ
tres quidã admirãdi adoleſcẽtes· quoꝝ
vnus priſcꝰ· aliꝰ malcus· tercius alexãder vocaba
tur· cum ſuburbanũ agellum ſupradicte vrbis ha
bitarent· diuino fidei calore ſuccẽſi· ceperunt ſe=
metipſos ſegnicie atqꝫ ignauie incuſare· ꝙ cũ ce=
leſtes in vrbe martirij ꝓponerent̃ corone· ipſi non
deſiderarent· nõ rapent· Cũqꝫ dñs & ſaluator re=
gnum celoꝝ violent̃ diripi debere teſtatꝰ ſit· ipſi
inglorios & deſides animos humi gererent· Hiiſ
igit̃ ſemetipſos alloquijs incitãtes vrbẽ petunt·
& adorto iudice truculẽto cur tm̃ in ſãguine pio=
rum deſeuiret incuſant· Ille ꝯtinuos nobiles ani
mos iuuenũ ꝙ dignis remuneratꝰ affatibꝰ· deuo
randi inquit beſtijs ſurrigant̃ quibꝰ nõ placꝫ pio
rum ſanguinẽ fundi· Sed & mulier quedã ſupra=
dictorum iuuenũ ſecuta fert̃ audacie et magnani
mitatis exemplũ· ſimilemqꝫ ſortit̃ exitũ pene· Quã
tñ de marcionis ſcola fuiſſe loquebant̃· Marinum
quoqꝫ viꝝ militantẽ hieroſolimoꝝ ciuẽ honore
& diuitijs claꝝ· cũ in ſupradicta vrbe inter colle
gas ſuos ꝑ ordinẽ gradꝰ ſui honor quidẽ ꝯtinge=
ret militaris (vt fieri ſolꝫ) in ſequentẽ collegã ſuũ
ſbit inuidia· & exclamat nõ poſſe marinũ adipiſci
ſupiorem gradũ eo ꝙ eſſet xp̃ianus· Interrogat̃ a
iudice marinus ſi res ita ſe haberet· Ille ita eſſe &
vere ſe eſſe xp̃ianum clariſſima voce teſtat̃· Tres
ei deliberandi hore decernunt̃ a iudice· vt eligat
vtꝝ velit ĩmolare dijs & placere impatori· an xp̃i
anus interimi· Cũqꝫ a tribunalibꝰ fuiſſet egreſſꝰ
theotecuus eps̃ loci apphẽnſa manu eius ꝑducit
eum ad eccleſiã· ibiqꝫ eũ multis verbis in fide ꝯfir
mans ad vltimuꝫ in interiora ꝑducit altaris· gladi
umqꝫ ſuũ quo p̃cinctꝰ erat oſtendẽs ei et rurſum
offerens euangeliũ qd de duobꝰ mallet interogat·
Marinus ṽo ꝓmptiſſima fide cum manũ ad euan
gelium tetẽdiſſet· obtime inqt theotecuꝰ qd legi=
ſti o fili· & ꝯtemnens p̃ſentẽ vitã· eternã ſperato
Confidẽs ꝑge & ſuſcipe coronã quã tibi dñs p̃pa
rauit· Mox regreſſꝰ ad tribunal vocat̃· nec moraſ
patit̃· ſꝫ ſtatim aſſerit ꝙ oporteat magis deo ꝙ ho
minibꝰ obedire· Quẽ iudex ilico capite puniendũ
ꝓ tali reſpõſione denunciat· LVIII·

¶ De ſãcto aſtirio ſenatore·

Sed inter eos cũctis clarior & meritis fi
dei ſupra ceteros inſignis memorat̃ aſti
rius· vir romane vrbis ſenator patriciꝰ
nobilitate facultatibus· ꝓpinquitate etiã regia &
oĩm bonoꝝ fama ſatis clarꝰ· Qui cum ſupradicti
martiris extremis inteſſet exequijs· & capite ceſũ
cadauer ſubiectis humeris & ſbtracta veſte qua
induebat̃ excipet· honorẽ quẽ martiri detulit ꝯti=
nuo ipſe martir aſſequit̃· Sed & in multis alijs eũ
p̃claris geſtis in fide xp̃i emicuiſſe tradiderũt no
bis hij qui eum ĩ corpe adhuc poſitũ viderant· In
quibꝰ etiã tale aliqd ꝑ eum geſtum memorabant·
Apud ceſareã philippi quã peneadẽ phenices vo
cant· aiũt ſub radice montis q̃ appellat̃ pamus ex
quo fluuij iordanis p̃ma fluẽta ꝓſiliunt· mor̃ fu
iſſe gentilis erroris certa ac ſolemni die immolari
victimã· Que victima arte quadã demonis ſbito
nuſqꝙ cõparebat· Et erat hoc famoſiſſimi miracu
li genus· quo pſuaderi aſtantibꝰ videret̃ in celum
hoſtiã inuiſibiliter eſſe ſblatã· Accidit igit̃ dũ hec
agerent̃ adeſſe aſtiriũ· Qui cũ videret oĩs mira=
culi huiꝰ ſtupore ꝯſtringi· humanos miseratꝰ erro
res· cuꝫ gemitu & ſuſpirio oculos ad celũ pariter
tendit & palmas· xp̃m qui eſt ſup oĩa deꝰ tota
fide pfuſis lacrimis inuocat· vt p̃ſtigias fallacis
demonis arguat· miſeriſqꝫ mortalibꝰ erroris huiꝰ
ſoluat archanũ· Hec illo cuꝫ fletibꝰ ſupplicãte· ſb
ito victima q̃ inuiſibilit̃ credebat̃ aſſũpta· ſupfer=
ri aqs videbat̃· et ꝯſpectibꝰ oĩm reddit̃· Nec vlt̃
in illis locis error hmõi potuit repari· In vniꝰ xp̃i
ani prece· tãtorum ſeculoꝝ deceptionis machina·
cum auctoribꝰ ſuis demonibꝰ diſſoluta eſt·
·LIX· ¶ De imagine dñi
& cathedra iacobi que ſunt in ceſarea·

Verum qꝛ vrbis huiꝰ fecimꝰ mentionem
iuſtum videt̃ cõmemorare etiã illud ĩ ea
qd hiſtoria dignũ duximus· Mulierem
ꝙ ſãguinis ꝓfluuio laborãtem· a ſaluatore curatã
euãgelia tradiderunt· Huiꝰ vrbis ciuẽ ꝯſtat fuiſ=
ſe· domuſqꝫ eiꝰ ĩ ea etiã nũc oſtendit̃· Pro foribꝰ
vero domꝰ ipſiꝰ· baſis quedã in loco editiore col
lata monſtrat̃· in qua mulieris ipſiꝰ velut genibꝰ
ꝓuolute palmaſqꝫ ſuppliciter tendẽtis ymago ere
videt̃ expſſa· Aſtat ṽo alia ere nichilominꝰ fuſa
ſtatua· habitu viri ſtola cõpti circũdata· & dextrã
mulieris porrigẽtis· Huiꝰ ad pedẽ ſtatue e baſi q̃
dam herba noua ſpecie naſcit̃· que cũ exorta fuẽit
excreſcere vſqꝫ ad ſtole illiꝰ erei indumẽti fimbriã
ſolet· Quã cũ ſummo vertice creſcẽs herba ꝯtige
rit· vires inde ad depellẽdos oĩs morbos lãguo=
reſqꝫ ꝯquirit· ita vt quecũqꝫ illa fuẽit infirmitas
corpis· hauſto exiguo madefacti ſalutaris grami
nis depellat̃· nichil omĩno virium gerẽs ſi anteqꝙ
eree fimbrie ſũmitatẽ creſcẽdo ꝯtigerit decerpat̃
Hãc ſtatuã ad ſimilitudinẽ vultꝰ ihũ formatã tra
debãt que permãſit vſqꝫ ad nr̃a tp̃a ſicut ipſe ocu
lis noſtris pſpeximꝰ· In eadẽ vrbe & iacobi cathe
dra· qui primꝰ in terris eps̃ ab ip̃o ſaluatore & ab
apoſtolis in hieroſolimis eſt electꝰ· quẽqꝫ fratrẽ
ipſiꝰ diuina volumina deſignant· vſqꝫ ĩ hodiernũ
diem ꝯſuatur atqꝫ in ea ſedẽt oĩs qui uſqꝫ ad p̃=
ſens tempus ſedis illiꝰ ſacerdotiũ ſortiunt̃· ſerua
turqꝫ cum ingenti ſtudio· velut a maioribꝰ tradi
ta memoria ſãctitatis· & cũ magna ueneratõe ha=
betur· vel uetuſtatis uel p̃mi ſacerdotij ſãctitatis
obtentu· LX· ¶ De lucio papa
& ſtephano papa· Ex geſtis pontificũ·

Lucius papa natione romanꝰ p̃mo qdeꝫ
in exilio fuit· Sed poſtea nutu dei ad ec
cleſiã ſuã reuerſus· Tandem a ualeriano
capite truncatus eſt· iii· noñ· marcij· Hic precepit
ut duo p̃ſbiteri & tres dyaconi in omni loco ep̃m
nõ deſererent· ꝓpter teſtimoniũ eccleſiaſticũ· Se
dit aũt annis tribus· Qui dum ad paſſionẽ ꝑgerꝫ
poteſtatem dedit oĩs eccleſie ſtephano archidia
cono ſuo· Stephanus itaqꝫ natione romanꝰ poſt
eum ſedit ãnis ſeptem· Hic ꝯſtituit ut ſacerdoteſ
& leuite veſtibꝰ ſacratis in vſu quotidiano ñ vte
rent̃· niſi in eccleſia tm̃· Et ipſe quoqꝫ martirio co
ronatꝰ eſt· ¶ Ex geſtis eius· Nã cum verbo & ex
emplo mltos gentiliũ ꝯuertiſſet· & multa martiꝝ

coꝛpa ſepeliſſet· valerianꝰ ⁊ galienꝰ nominis xp̄i
ꝑſecutoꝛes·eū ſummo ſtudio ꝑquiri fecerunt·vt
eum ⁊ clericos eiꝰ aut ſacrificare cogerēt·aut di
uerſis ſupplicijs ꝯſumerent·Dederūtq̄ʒ edictū ut
quicunq̄ʒ eos ꝓderet oīs eoꝝ diuitias poſſideꝛʒ
Vnde decē huiꝰ clerici cōꝑhenſi·ſtatim ſūt ſine
audientia decollati·Sequēti die cōꝑhenſus ſte-
phanꝰ cū multitudine clericoꝝ·ſolus ante tribu-
nal iudicis introiuit·manenſq̄ʒ immobilis ad tem
plum martis ducit̄·vt ipſū adoꝛaret·aut ſtatiʒ ca
pite puniret̄·Quo dū veniſſet oꝛauit deū ut tem
plum deſtrueret·Et ſtatim maxima ꝑs templi coꝛ
ruit·⁊ militibꝰ pre timoꝛe fugientibꝰ beatus ſte
phanus cū alijs xp̄ianis ad cimiteriū ſācte lucie ꝑ
rexit·Et audiens valerianꝰ ꝙ eos ille ad tolerātiā
roboꝛaſſet·miſit ad eū milites plures prioꝛibus·
Qui veniētes inuenerunt eū miſſā celebrantē ⁊
ſtantē intrepidum ac cepta ꝑficientē ſic in ſua ſe
de decollauerunt·                LXI·

¶ Paſſio ſācti fructuoſi ep̄i cū ſocijs ſuis·

SVb eiſdē impatoꝛibꝰ ⁊ emiliano p̄ſide
paſſus eſt apud terraconā ſanctꝰ fructu
oſus ep̄s cū ſocijs ſuis·ſ·augurio ⁊ eu
logio diaconibꝰ·Qui primo in carcerē truſi·dein
de flamis iniecti·exuſtis vinculis·manibꝰ in mo-
dum crucis expāſis·oꝛātes vt vrerent̄ obtinuerūt
Cunq̄ʒ vocarēt p̄ſideʒ dicētes veni ⁊ vide quos
hodie damnaſti·quō ſc̄m ſpem ſuā celo reſtituti ſūt
Ille veniens videre dignꝰ nō fuit·Veniētes autē
nocte fratres ad amphiteatꝝ vt ſemiuſta coꝛpa
extinguerent cineres eoꝝ colligerūt·⁊ vnuſq̄ſq̄ʒ
ꝓut potuit ſibi vendicauit·Sed ſeptima poſt paſ
ſionē nocte·ſāctus fructuoſus ep̄s appuit oībus
ꝑ viſū·qui reliquias eoꝝ ꝑ caritatē ſuſtulerāt·mo
nens eos vt illas in vnū locū ponerēt·Emiliano
quoq̄ʒ in ipſa noctis hoꝛa ſe oſtēdit cū diaconibꝰ
ſuis in ſtolis gloꝛie·increpās eū ⁊ inſultās·Paſſi
ſunt aūt·xiii·kl̄·febꝛ̄·          ·LXII·

¶ De ſācto cipriano ep̄o ac martire ⁊ libꝛis eiꝰ·
Ex geſtis eiꝰ·

SAnctꝰ quoq̄ʒ ciprianꝰ carthaginēſ ep̄s
in eadem vrbe paterno ꝓcōſuli p̄ſentat̄
⁊ a fide mutari nō valens poſt diutur-
num exiliū reuocatus iuſſu aſcaſij ꝓconſulis q̄ pa-
terno ſucceſſerat decollatꝰ eſt·¶ Hieronimꝰ de
illuſtribꝰ viris·Ciprianꝰ afer carthaginenſ ep̄s
glorioſe primū rethoꝛicā docuit·Exinde ſuadēte
p̄ſbitero cecilio a quo ⁊ cognomentū ſoꝛtitus eſt
xp̄ianus factꝰ oīeʒ ſb̄am ſuā paupibꝰ erogauit·
Ac poſt nō multū tempoꝛis electꝰ·in p̄ſbiterum
etiā cartaginenſ ep̄s ꝯſtitutꝰ eſt·Huiꝰ ingenij ſu
ꝑfluum eſt iudicē texere·cū ſole clarioꝛa ſint eius
opa·Paſſus eſt ſb̄ valeriano et galieno principibꝰ
ꝑſecutione octaua·eo die quo rome coꝛneliꝰ ſʒ nō
eodem anno·¶ Actoꝛ·Scripſit aūt ciprianus de
xij·abuſionibꝰ ſeculi libꝝ vnū Ad donatū de gra
tia dei libꝝ vnuʒ·De lapſ libꝝ vnū·De aleatori-
bus·li·i De vnitate catholice eccleſie li·i·De oꝛa
tione dn̄ica·li·i·De moꝛtalitate li·i·De opere ⁊
elementis·li·i·De bono patientie·li·i·De zelo ⁊
liuoꝛe·li·i·Ad demetrianū·li·i·Ad quirinū li·iii·
De laude martirij·li·i·Ad antonianū·li·i·Ad iu
lianum·li·i·Ad cecilium li·i·De ſacro calice·li·i·
Ad coꝛneliū·li·i·De duobꝰ montibꝰ·li·i·Epiſto
las ꝑuas ad diuerſas ꝑſonas·De oībꝰ hijs hec
que ſequunt̄ excerpſi·           LXIII·

De·xij·abuſionibꝰ ſeculi ſc̄dm ipſū·¶ Ciprianꝰ

DVodecim abuſiua ſeculi hec ſunt·Sapi-
ens ſine opibꝰ·ſenex ſine religione·ado
leſcens ſine obedientia·diues ſine elemo
ſina·femina ſine pudicicia·dn̄s ſine virtute·xp̄ia-
nus ꝯtentioſus·paup ſupbus·rex iniquꝰ·ep̄s ne-
gligēs·plebs ſine diſciplina·populꝰ ſine lege·Sic
ſuffocat̄ iuſticia·Auditoꝛes eiʒ doctrine dicta de
ſpiciunt·cū p̄dicatoꝛis opa a predicatōnis verbis
diſcrepare cōſpiciunt·Nec vnq̄ fit efficax autoꝛi
tas predicātis·niſi eā effectu opis coꝛdi affixerit·
Nā ⁊ ipſe doctoꝛ ſi in amoꝛem vicioꝝ lapſꝰ fue-
rit·alteriꝰ doctoꝛis medicamentū ſuis vulneribꝰ
ꝑuipendit dicente dn̄o Si ſal euanuerit in quo ſal
liet̄·Quid poꝛro ſtolidiꝰ fieri poteſt·ſi mens ad
ꝑfectionē feſtinare nō ꝯtendat·qn̄ totiꝰ coꝛpis ha
bitus ſenectute ꝯfectus ad interitū feſtinat·dum
oculi caligāt·aures grauiter audiūt·capilli fluūt·
facies in palloꝛem mutat̄·dentes lapſi numero mi
nuunt̄·cutis areſcit·flatꝰ nō ſuauiter olet·tuſſis
cachinnat·talos ⁊ pedes tumoꝛ inflat·genua tre
pidāt·Et hec oīa ruiturā iā iamq̄ʒ domū coꝛpis ci
to prenunciāt·Cauende aūt ſūt homini veterano
due ꝑicule·que in coꝛpe illiꝰ nunq̄ veteraſcunt·
⁊ totum hoīem ad peccatū ꝑtrahunt·Coꝛ videli
cet ⁊ lingua·Coꝛ eīn ſemꝑ nouas cogitatōes ma
chinari nō deſinit·⁊ lingua impigre loquit̄ q̄dq̄d
coꝛ machinatū fuerit·Sicut aūt in ſenibus ſobꝛie
tas ⁊ moꝝ ꝑfectio requirit̄·ita ab adoleſcentibꝰ
obſequiū ⁊ ſubiectio rite debet̄·Vel quomō ho
noꝛatus ī ſenectute apparebit·qui diſcipline labo
rem in adoleſcētia nō ſuſtinuerit·Nō doꝛmiat in
theſauris tuis qđ paupi ꝓdeſſe poteſt·Qđ eīn ali
quādo de neceſſitate amittendū eſt·vtiq̄ʒ ꝓ eter-
na remuneratōe ſpōte diſtribuendū eſt·Auari in
iudicio a rectiſſimo iudice ideo dicent̄ maledicti
quia qui preteribāt eoꝝ habitacula·nō dicebāt be
nedictio dn̄i ſuꝑ vos ⁊c̄·Sicut auteʒ oīs bonos
moꝛes ꝓcurat ⁊ cuſtodit in viris ꝓuidētia·ſic ⁊
in feminis cunctos honeſtos actus·nutrit ⁊ fo-
uet ac cuſtodit pudicicia·Tria quoq̄ʒ neceſſaria o
poꝛtet habere eos qui dn̄ant̄·terroꝛē ſciliꝫ ⁊ oꝛ
dinationē ⁊ amoꝛē·Mundi vō amoꝛ ⁊ dei parit̄
in vno coꝛde habitare nō poſſūt queādmodū ocu
li celum ⁊ terrā ꝑiter nequāq̄ ꝯſpiciunt·Qualit̄
aūt alios coꝛrigere poterit·qui moꝛes ſuos nō coꝛ
rigit·Sciat aūt rex iniquus ꝙ ſicut ī thꝛono hoīm
p̄mus eſt ꝯſtitutus·ſic in ꝑenis p̄matum eſt habi-
turus·Oīs quoq̄ʒ peccatoꝛes quoſcūq̄ʒ in preſē
ti ſub ſe habuit·ſupꝛa ſe modo plagali in illa futu
ra pena habebit·Decimus abuſionis gradꝰ ē epi-
ſcopꝰ negligēs·ſ·q̄ gradꝰ ſui honoꝛē inter hoīes
req̄rit·ſed miniſterij ſui dignitatē coꝛā dō ꝓ quo
legatione fungit̄ nō cuſtodit·Qui excōmunicat̄ a
catholico doctoꝛe vel epiſcopo nō debet ab alio
ſuſcipi niſi ꝑmittēte illo·Diſciplina eſt moꝝ oꝛdi
nata coꝛrectio ⁊ maloꝝ precedentiū ꝛ̄gularis ob
ſeruatio·               ·LXIIII·

¶ De gratia dei ⁊ malicia ſeculi·   Actoꝛ·

DOꝛro in libꝛo de gratia ad donatū de af
fluentia gratie dei et abundantia malicie
ſeculi ſic loquit̄·¶ Ciprianꝰ·Profluēs
largiter ſp̄us nullis finibꝰ p̄mit̄·nullis metaruʒ
ſpacijs frenat̄·Manat iugiter·exuberat affluent̄·
Noſtꝝ aūt tm̄ ſitiat pectus ⁊ pateat·quātū illuc
fidei capacis offerimꝰ·tm̄ mundantis gratie hau-
rimus·Pauliſper itaq̄ʒ te crede ſubduci ī montis
ardui verticē celſioꝛem·et inde ſpeculare infra te

iacentiū facies· & oculis in diuſa porrectis ipſe a
terrenis ꝯtactibꝰ liber· fluctuātis mūdi turbīes
intuere· Iā ſeculi & ipſe miſereberis tuiqꝫ admo-
nitus· & plus deo gratus maiore leticiaqꝫ ꝙ eua-
ſeris gratulaberis· Heu em̄ eſſe iā int̄ innocentes
innoxium crimen eſt· Malos quiſqꝫ nō imitat̄ of
fendit· Cōſenſere iura peccatis· & cepit licitū eē
qđ publicū eſt· Quis em̄ illic pudor rez· que inte
gritas eſſe poteſt· vbi qui damnēt impꝓbos deſūt
& ſoli q̄ damnant̄ occurrūt· Ceteꝝ quos diuiteſ
opinaris· hos etiā inter diuitias ſuas trepidos co
gitatōis incerte ſolicitudo diſcruciat· ne p̄do va-
ſtet· ne p̄curſor inueſtet· ne inimicitia cuiuſqꝫ lo-
cupletioris inuidia calumnioſis litibus inquietet·
Nō cibꝰ ſecurus· ſomnꝰ ne ꝯtingit· gemma licꝫ bi
bat in ꝯuiuio ſuſpirat· et cū epulis marcidum cor
pus thorus mollior alto ſinu ꝯdiderit ī pluma vi
gilat· Nec intelligit miſer ſpecioſa ſibi eſſe ſuppli-
cia· auro ſe alligatū teneri & poſſideri magis ꝙ
diuitias poſſidere· O deteſtabilis cecitas mentiū
& cupiditatis inſane ꝓfunda caligo· cū exonera-
re ſe poſſit & releuare ponderibꝰ· ꝑgit magis for
tunis augentibꝰ incubare· et penalibꝰ culmis ꝑti
naciter adherere· Nulla in clientes largitio eſt· nl'
la indigentibꝰ fit ꝑtitio· et pecuniā ſuā dicunt ꝙ
velut alienā domi clauſā ſolicito laboꝛe cuſtodiūt
Ex qua nō amicis nō liberis quidꝙ nō ſibi deniqꝫ
impꝛtiunt̄· ſed ad hoc tm̄ poſſident ne poſſidere al
teri liceat· An tu vel illos ſaltē putes inter hono-
rum infulas vel opes largas ſtabili firmitate ſecu
ros· quos regalis au'e ſplendore fulgētes· armoꝝ
excubantiū tutela circūſtat· maior illis ꝙ ceteris
metus eſt· tā em̄ timere cogunt̄ ꝙ timent̄· Exigit
em̄ penas ꝑiter de potentiore ſblimitas· Vna igi
tur placida & fida trāquillitas vna ſolida & fir-
ma ſecuritas· Si qs ab hijs inquietātis ſeculi tur-
binibꝰ extractꝰ· ſalutaris portꝰ ſtatione fungat̄·
ad celū oculos tollat a terris· et ad dei munꝰ ad-
miſſus· ac deo ſuo mente iā ꝓximꝰ quidqđ apud
ceteros humanis in rebꝰ ſblime ac magnū videt̄·
intra ſuā ꝯſcientiā iacere gloriet̄· nichilqꝫ appetē
iā de ſeculo poteſt· q̄ ſeculo maior eſt· LXV

De laude virginitatis & ſāctimonie· Actor·

In libro quoqꝫ de diſciplina & habitu virginum·
ꝑtim virginalē pudiciciā ꝯmendat· ꝑtim vō quaſ-
dam ornatu extraneo facies ſuas adulterātes vi-
tupat in hunc modū· Ciprianꝰ· nunc nobis ad
virgines ſmo eſt quaꝝ quo gloria ſublimior eſt·
maior cura eſt· Flos eſt ille eccleſiaſtici germīs· de
cus atqꝫ ornamentū gratie ſpūalis· leta īdoles lau
dis & honoris· opꝰ integꝝ atqꝫ incorruptū· ima-
go dei reſpōdens ad ſāctimoniam dn̄i· illuſtrior
portio gregis xp̄i· Porro ſi tu te ſūptuoſiꝰ comaſ
& ꝑ publicū notabilit̄ incedas· oculos in te iuuē-
tutis illicias· ſuſpiria adoleſcentiū poſt te trahas
ꝯcupiſcendi libidinē nutrias· peccādi fomēta ſuc-
cendas· vt ſi & ipa nō pereas· tm̄ alios ꝑdas & ve
lut gladiū te & venenū videntibꝰ p̄beas· excuſari
nō potes quaſi mēte caſta ſis & pudica· Redargu
it te cultꝰ ſupꝰbus & impudicꝰ ornatꝰ· nec cōpu-
tari iā potes inter puellas virgines xp̄i· que ſic vi
uis vt poſſis adamari· Sericū & purpurā indute
xp̄m induere nō poſſunt· Auro & margaritis &
monilibus adornate· ornamēta cordis ac pectoris
ꝑdiderunt· Quis nō id execret̄ & fugiat· qđ alijs
fuerit exitio· Quis id appetat & aſſumat ꝙ ad ne
cem alteriꝰ fuerit ꝓ telo & gladio· Nō ſoluꝫ autē

virgines ac viduas ſed & nuptas & om̄s femīas
admonēdas puto· ꝙ opus dei & plaſma nullo mō
adulterari debēt· adhibito flauo colore vel nigro
puluere vel rubore aut quolibet medicamīe linea
menta natiua corrūpente· Dicit dn̄s Faciamꝰ ho
minē ad ymaginē & ſimilitudinē noſtrā· & audet
quiſꝙ mutare & ꝯuertere qđ deus fecit· Manus
deo inferunt qn̄ id qđ ille formauit reformare &
trāſfigurare ꝯtendūt· neſciētes qꝛ opꝰ dei eſt om
ne qđ naſcit̄· dyaboli qđcunqꝫ mutat̄· Si quis pin
gendi artifex vultū alicuiꝰ & ſpeciē ac corpis q̄li
tatem emulo colore ſignaſſet· et ſignato iā ac con
ſumpto ſimulacro· manꝰ aliꝰ afferret· iāqꝫ forma
ta iā picta q̄ſi ꝑitior reformaret· grauis prioris ar
tificis iniuria & iuſta īdignatio videret̄· Et tu te
exiſtimas impune laturā tā impꝓbe temeritatis au
daciā dei artificis offenſā· Et ſi impudica circa ho
mines & inceſta fucis lenocinātibꝰ nō ſis· corrup
tis violatiſqꝫ que dei ſūt· peior adultera detineris
Qꝫ ornari te putas ꝙ comi· impugnatio eſt iſta di
uini corpis· p̄uaricatio veritatis· Nō inq̄t in ferm̄
to malicie & nequicie· ſed in azimis ſinceritatis et
veritatis· Nunqđ ſinceritas ꝑſeuerat et veritas·
qn̄ que ſincera ſūt polluunt̄ adulterijs coloꝝ· me
dicaminū fucis· in mendaciū v̄a mutant̄· Dn̄s tuꝰ
dicit· nō potes facere capillū tuū albū aut nigruꝫ
et tu ad vincendā dn̄i tui vocē vis te eē potiorē·
Audaci conatu et ſacrilego ꝯtemptu crines tuos
inficis malo p̄ſagio futuroꝝ· Capillos iam tibi fla
meos auſpicari nō metuis Oro te que talis es· ne
cum dies reſurrectōis venerit· artifex tuꝰ te non
recognoſcat· Ad ſua p̄mia venienteꝫ remoueat et
excludat vigore cenſoris et iudicis increpās dicēſ
Opus hoc meū nō eſt nec ymago hec noſtra eſt· fi
gura corrupta eſt· vultꝰ alienꝰ eſt· Deū videē nō
poteris cū oculi tibi nō ſint quos deꝰ fecit ſꝫ quoſ
dyabolꝰ infecit· Illū tu ſectata es rutilos atqꝫ de
pictos oculos ſpentis imitata es· de inimico tuo
compta cū illo ꝑiter et arſura· Virgines certe que
ſe hm̄ōi artibꝰ compſerint int̄ virgines non puto
debere numerari ſed tanꝙ ꝯtactas oues et morbi
das a grege ſancto et puro virginitatis arceri· ne
cōtagio ſuo ceteras polluāt· non eſt āt ad magna
facilis aſcenſus· ſed ſi p̄mium pollicitatōis atten
das minꝰ eſt qđ laboras· Igit̄ o ſacre v̄gines hor
tamentis vos mutuis excitate· emulis de virtute
documentis ad gloriā ꝓuocate· Durate fortiter·
ꝑgite ſpūaliter· ꝑuenite feliciter· Tm̄ mementote
tunc noſtri cū in vobis cepit virginitas honorari

LXVI· De inuectione eius contra aleatores· Actor·

Porro in libro de aleatoribꝰ contra ludū
alee ſic inuehit̄· Ciprianꝰ· Si oues de
linquant et paſtores delinquētibꝰ igno
ſcant· nōne ipſi ſe pondere delinquentiū onerant
Quid queſo eſt nos fideles· ꝙ manꝰ que ab hūa
nis iniurijs expiata eſt· et ad ſacrificiū dn̄i cuꝫ ad
miſſa· que ad laudē dn̄i in oraculo exurgit· que ſi
gnum chriſti ꝑ qđ tuemur fronti imprimit· Quid
eſt inquit vt alee ludum exercens· laqueis dyaboli
vnde exuta eſt rurſus implicet̄· Alea em̄ dyaboli
venabuluꝫ eſt· et delicti vulnꝰ inſanabile· Ibi dya
bolus preſto eſt ad capiendū ſubmiſſus· ibi ꝑfidia
falſa teſtimonia· mētis furia· venale ꝑiuriū· ſerpē
tinum colloquiū· Illic rabioſa amicicia· fratnitas
diſcordans· Illic ꝯuicia et ſeua audacia· fera impa
tientia· poſſeſſionum amiſſio· O aleatorum pigra

nequitia · o manus crudelis & ad ꝑiculū ſui arma
ta · que bona paterna & opes alioꝝ ſudoribꝰ que
ſitas ignominioſo ſtudio dilapidat · Alea eſt alue
us mali · ſupplātatio amici · que nec luctū ꝯfert ſꝫ
totū ꝯſumit · Hinc deinde paupes fiunt · hinc iam
ꝯſumptis oībus ſuis rebus · mutuis pen urijs ſe
obruunt · Hinc patrimoniū ſine vlla fori pecunia
amittunt · O quales ſūt fideles vt quos nemo ꝑſe
quit̄ ipi ſeipſos inuidia ꝑſequant̄ · vt paterna ſua
hereditate priuent̄ · Ille q̄dem qui hūc ludū ꝑmꝰ
adinuenit inſtinctu dyaboli · qui eū ſuis artibꝰ ad
impleuit · ab imitatoribꝰ ſuis ſe colendū & ſibi ſa
crificandū ꝯſtituit · ita vt qui vellet eiꝰ ſtudio ad
herere · nō ante manū in tabulā porrigeret niſi au
tori eiꝰ priꝰ ſacrificaret · Chriſtianꝰ aūt quicunqꝫ
es · & alee tabula ludis · licet nō ſacrifices · tñ legiſ
huiꝰ facinoris ꝑticeps es · & vtiqꝫ xp̄ianꝰ non es
ſed ethnicū tibi nomē eſt · et inuacuū ſumis illud
qđ ad ſacrificiū dn̄icum ꝑtinet · Nec amiciciā cum
xp̄o habere potes q̄ eiꝰ inimico amicꝰ es · O qual̄
aleatoꝝ demētia · qui inſaniūt · peierāt · maledicūt
& dyaboli caligine deorbati ſimilit̄ inuicē manus
inferunt · inuicem ſe deuouēt & parentū originē
turbis p̄ſentibꝰ dehonorāt · Et q̄ iā ſepiꝰ vincitur
rurſus ad nocentiꝰ ſtudiū ſuadēte dyabolo aīat̄ ·
O ars infeſta ſtudentibꝰ & ſtudiū libidinoſū · qđ
nō diuitias ſed nuditatē & inopiā p̄ſtat · Manus
carnifex · manꝰ noxia que nec poſt lucra deſinit · ſꝫ
adhuc poſt damna ludit · Eſto igit̄ nō aleator ſed
xp̄ianus · pecuniā tuā aſſidēte xp̄o · ſpectātibꝰ an
gelis & martiribꝰ p̄ſentibꝰ · ſuꝑ menſā dn̄i ſperge
& paupibus diuide · diuitias tuas xp̄o cōmitte &
artem dn̄i imitare que nō ꝑdit · ſed potiꝰ acquirit
Sit tibi cū paupibꝰ quotidianꝰ luſus · ſit cū vidu
is frequēs opatio · Alea v̄o nō luſeris vbi luſꝰ no
cuus eſt & crimē mortale · vbi dementia ſine cōſi
deratōe · vbi veritas nulla ſed mendacij malicia ·
Extrahe caliginē inimici ab oculis tuis · et purifi
ca manū tuā a dyaboli ſacrificijs · LXVII ·

¶ De modo orādi · ¶ Actor ·

Oreteꝝ in libro de oratōe dn̄ica de modo
orandi ita differit · ¶ Ciprianꝰ · Sit orā
tibus ſmo cū diſciplina · quietē ꝯtinens
& pudorē · Placendū eſt diuinis oculis & habitu
corꝑis & modo vocis · Nā ſicut impudentis ē cla-
moribꝰ ſtreꝑe · ita ecōtra ꝯgruit verecundo mode
ſtis p̄cibꝰ orare · Deniqꝫ dn̄s ſecreto in abditis et
ſemotis locis orare p̄cipit · id eſt in cubiculis ipis
qđ magis fidei ꝯuenit · vt ſciamꝰ deū vbiqꝫ p̄ſen-
tem oēs audire & videre · Diſcipline quoqꝫ ac ve
recundie meōres · nō debemꝰ paſſim incōditis vo
cibꝰ p̄ces noſtras vētilare · nec petitionē deo mo
deſte cōmendandā tumultuoſa loquacitate iacta-
re · qꝛ deꝰ nō vocis ſed cordis auditor eſt · Nec cla
moribꝰ admonendꝰ eſt · q̄ cogitatōes videt · Vnō
& publicanꝰ orabat nō eleuatis ī celū impudent̄
oculis · nec manibꝰ inſolenter erectis · ſed pectus
ſuū pulſans & peccata intꝰ incluſa ꝯteſtās diuīe
miſericordie implorabat auxiliū · Dn̄s quidē ī ora
tione quā docuit omnē p̄cem noſtrā ſalutari ſmo
ne breuiauit · ſicut etiā p̄ceptoꝝ ſalutis grāde cō-
pendiū fecit · vt in diſciplina celeſti diſcentiū me-
moria nō laboraret · ſꝫ qđ eſſet ſimplici fidei neceſ
ſarium · velociter diſceret · ſic etiā vite eterne ſacra
mentum · magna & diuina breuitate cōplexus eſt
dicens · Hec eſt aūt vita eterna ꝛc̄ · Incūbere igit̄
ad p̄ces toto corde debemꝰ cuꝫ ad orandū ſtamꝰ

cogitatō oīs carnalis abſcedat & ſecularis · nec
quidq̄ꝫ aliud tunc animꝰ cogitet · ꝙ id ſolū qđ p̄-
catur · Ideo eñ & ſacerdotes ante orationē p̄fati
one p̄miſſa ꝑant fratrum corda dicendo · Surſum
corda · et illi reſpōdent · Habemꝰ ad dn̄m · vt clau-
dat̄ contra adūſarium pectus · & ſoli dn̄o pateat
Nec habeamꝰ aliud ī corde & aliud ī voce · Quō
eñ audiri te a deo poſtulas · cū teipſe nō audias ·
Dn̄m tuū memorē eſſe vis cū tui memor ipſe ñ ſis
Hoc eſt maieſtatē dei negligētia oratōis offēdere
Hoc eſt vigilare oculis & corde dormire · cū debe
at xp̄ianꝰ etiā cum dormit · corde vigilare · ſic̄ ſcri
ꝑtum eſt · Ego dormio & cor meū vigilat · Sermo
quoqꝫ deū ꝓmereri nō poteſt q̄ nulla opatōe fecū
dus eſt · Et ideo ſcriptū eſt · Bona eſt oratio cū ie
iunio & elemoſina · nā qui in die iudicij p̄miuꝫ ꝓ
bonis opibꝰ redditurꝰ eſt · hodie quoqꝫ ad orati-
onem cū opatōe veniēti benignꝰ auditor eſt · Vn
de cornelio dictū eſt · Oratōnes tue & elemoſine
tue aſcen · ꝛc̄ · Qui eñ paupi elimoſinā dat deo ſua
uitatis odorē ſacrificat · Nulla āt hora chriſtianꝰ
excipit̄ · quo minꝰ ſemꝑ deꝰ debeat adorari · nec vl
lum de nocturnis tenebris eſſe orantibꝰ damnum
poteſt · quia filijs lucis etiā in noctibus dies eſt ·
Qui ergo in xp̄o hoc eſt in lumine ſemꝑ ſumꝰ · nc̄
noctibꝰ ab oratōne ceſſemꝰ · imitemur qđ futuri
ſumus habituri in regno ſine noctis interuētu ſo
lum diem · LXVIII ·

¶ De ꝯtemptu mortis · Actor ·

In libro quoqꝫ de mortalitate · contēptum
mortis a ꝓꝑbat · & ad martirij deſideriuꝫ
ſic inuitat · ¶ Ciprianꝰ · Eiꝰ eſt mortem
timere qui ad chriſtū nō vult ire · et eiꝰ ad chriſtū
eſt nolle ire · qui nō credit cū chriſto incipe r̄gna-
re · Cōtemnenda eſt oīs iniuria p̄ſentiū maloꝝ · fi-
dutia futuroꝝ bonoꝝ · Mori timeat q̄ ad ſecundā
mortē de hac morte trāſibit · Mori timeat cui hoc
mora longiore ꝯfert̄ · vt cruciatꝰ et gemitꝰ interiꝫ
ꝯuentu vnacũ valeriano prefecto· v· kl'· auguſti·
iuſſit abdon & ſennẽ ſibi preſẽtari· Qui in ꝯſpe-
ctu eiꝰ & ſenatꝰ introducti· aut ſacrificare & lib
tatẽ reꝝ ſuarum recipe· aut morſibꝰ beſtiaꝝ deuo
rari iubent̃· contemnentes itaqꝫ & expuentes ſi
mulacꝝ ad theatꝝ ꝑtrahunt̃ & ad eos duo leones
& vrſi immittunt̃· Qui cum ſãctos nõ tangerẽt·
ſꝫ etiã cuſtodirẽt iniectis in eos gladijs occidunt̃
Et ligati pedes tracti ſũt & iactati añ ſimulacꝝ
ſolis· Qui cum ibi triduo iacuiſſẽt· quirinꝰ ſ̄bdia
conꝰ eos collegit· et in domo ſua ſepeliuit·
XCII· Paſſio ſãcti ſixti pape·

Ortro ſanctꝰ papa ſixtus apud athenas
natꝰ & doctꝰ· audiẽs ꝙ deciꝰ ceſar euꝫ
cõp̄rehẽdi iuſſiſſet· ꝯuocauit cleꝝ et cõ
fortauit eos ne terrores metuerẽt impioꝝ· Preſẽ
tatus eſt itaqꝫ decio cũ feliciſſimo et agapito dia
conibꝰ· Quẽ cum deciꝰ nullis blandicijs mouere
potuiſſet· ductꝰ eſt ad templuꝫ vt aut ſacrificarꝫ
marti· aut recipet̃ in carcere mamertini· Audiẽs
auteꝫ laurentiꝰ ꝙ receptꝰ eſſet in carcere ſanctuſ
ſixtꝰ· ꝑgens ad eum dixit ei· Quo ꝓgrederis ſine
filio pater· Quo ſacerdos ſãcte ſine miniſtro ꝓpe
ras· cui beatus ſixtus dixit· Nõ ego te deſero fili
ſed maiora tibi debent̃ certamĩa· nos quaſi ſenes
leuioris pugne curſum recipimꝰ· te quaſi iuueneꝫ
manet glorioſior d̃ tirãno triumphꝰ· Poſt triduũ
me ſequeris ſacerdotẽ leuita· Interiꝫ ergo accipe

theſauros eccleſie·et quibꝰ tibi videꝛ diuide· Tūc
beatꝰ laurentiꝰ accipiēs theſauros eccleſie·cepit
ꝑ regionē querere vbi xpiani laterēt·et vnicuiqꝫ
ꝓut opꝰ erat miniſtrabat· Venit ad domū cuiuſ=
dam viduē q̄ in domo ſua mltos xpianos celabat
Que rogauit eū vt manū ſuā ſup caput eiꝰ pone
ret·qꝛ multa iā diu capitis infirmitate languebat·
Qđ cū beatꝰ laurentiꝰ feciſſet·illa ſanata eſt·Ea=
dem nocte ꝑgens inde venit in domū cuiuſdā xpi
ani·et ibi quendā cecum ſigno crucis illuminauit·
Beatꝰ vō ſixtꝰ cuꝫ duceretᷣ ad deciū & dictis eiꝰ
minime ꝯſentiret·valerianꝰ p̄fectus decreuit vt
ſacrificaturꝰ ad templum martis duceretᷣ·aut ſi
nollet ibidē capite puniretᷣ· Tunc beatꝰ laurentiꝰ
cepit poſt eū clamare dicēs· Noli me derelinquere
pater·qꝛ theſauros tuos iā expēdi· Tunc milites
audientes theſauros tenuerunt beatū laurētium·
Sixtū vō cū feliciſſimo & agapito ibidē decolla=
uerunt·viii·idus auguſti·

XCIII·

Paſſio ſācti laurentij martiris· ¶ Ex geſtis eiꝰ·

Post paſſionē ſācti ſixti tentꝰ eſt beatus
laurentiꝰ & decio p̄ſentatꝰ· Traditusqꝫ
eſt valeriano p̄fecto·vt ab eo theſauros
eccleſie diligenter exq̄reret·& ſi nollet ſacrificare
diuerſis eum tormētis occideret· Valerianꝰ auteꝫ
tradidit eū ipolito carcerario· Eratqꝫ ī carcere gē
tilis quidā q̄ plorādo cecꝰ factꝰ fuerat· Cui cum
laurentiꝰ ꝓmiſiſſet qđ videret ſi baptizatꝰ ī xpm
crederet·credentē baptizauit & dixit ei· Oīa in
ꝯfeſſione lauanᷣ· Vides aūt ipolitꝰ ꝙ nō ſolū ille
videret·ſed etiā multis alijs beatꝰ laurentiꝰ viſū
reſtauraret ait illi· Oſtēde michi theſauros· Dicit
ei laurentiꝰ· O ipolite ſi credideris in xpm & the=
ſauros tibi oſtēdo & vitā eternā ꝓmitto· Cui ipo
litus· Si inquit dictis facta cōpenſes faciē qđ hor
taris· Et ſtatim baptizatꝰ ipolitus ait· Vidi aīas
innocentiū letas gaudere· Et ꝓtinꝰ baptizata eſt
tota familia eiꝰ· Poſt hoc valerianꝰ mādauit ipo=
lito vt laurentiū adduceret· Qui ſponte veniens
cū aſtaret & valerianꝰ theſauros exq̄reret·petijt
triduanas inducias vt eos oſtēderet· Et abiēs col
legit pauperes & adduxit ad palatiū dicēs· Ecce
theſauri eterni q̄ nunq̄ deficiūt· Cū ergo interro
gatus deos blaſphemaret·iratꝰ decius iuſſit eum
ſcorpionibꝰ cedi & ante eū oīe genꝰ tormentoꝝ
afferri· Quē cum ſacrificare iuberet vt tormenta
euaderet Reſpōdit· Infelix has epulas ſemꝑ deſi
deraui· Decꝰ dixit· Ergo ſi ī hoc gloriaris dic no
bis vbi tui ſimiles ſint abſcōſi vt ſimul epulemini
Reſpondit laurentiꝰ· Nō es dignꝰ p̄ſentari eoꝝ
aſpectibꝰ· Tūc decꝰ iuſſit eū plumbatis diutiſſi=
me cedi· Et orauit laurentius dicens· Dn̄e accipe
ſpiritū meū· Statimqꝫ vox venit ipſo decio audi
ente· Adhuc multa certamina tibi debentᷣ· Tūc de
cius furore plenꝰ dixit· Viri romani audiſtis de=
mones ſacrilegū ꝯfortātes·qui deos rēſpuit & prīn
cipes·& tormēta ꝯtemnit· Extēdite eū & cū ſcor
pionibꝰ cedentes affligite· Tūc vnꝰ ex militibus
nomine romanꝰ credidit in chriſtū·et clamauit ad
beatū laurentium dicēs· Video ante te iuuenem
pulcerrimum ſtātem cuꝫ linteo extergentē mēbra
tua· Vnde adiuro te ꝑ dn̄m q̄ miſit tibi angelum
ſuum ne me derelinquas· Tūc anxiatꝰ decius iuſ=
ſit vt deponeretᷣ laurentiꝰ dicens· Puto iā ꝙ ar=
te magica victi ſumꝰ Et iuſſit eū recipi in palatio
Et tunc venit ad eū romanꝰ & baptizatus eſt ab
eo· Qđ audiēs decius iuſſit eū exhiberi cū fuſtibꝰ
At ille veniēs nōdum interrogatꝰ clamare cepit
dicens chriſtianꝰ ſum· Et ſtatim iuſſu decij decol=
latus eſt· Eadē nocte adductꝰ eſt beatꝰ laurenti
us ad deciū & valerianū· Cui decꝰ· Sacrifica dijſ
Sin aūt nox iſta in tuis expēdetᷣ ſupplicijs· Beatuſ
laurentius dixit· Mea nox obſcuꝝ nō habet·ſꝫ oīa
in luce clareſcunt· Tūc iuſſit vt os beati laurentij
cū lapide cederetᷣ· Tandē eum miniſtri iuſſu decij
exutū ſup cratē ferreā extēderūt·& prunis ſuppo
ſitis eū cū furcis ferreis cōpreſſerūt· Cunqꝫ diu
ibi aſſaretᷣ·& gratias agēs vultu letiſſimo q̄ſi ni=
chil mali ſentiēs videretᷣ·reſpexit ad impatorē &
dixit· Ecce miſer aſſaſti vnā ꝑtem·gira aliā & mā
duca·qꝛ iā video ꝙ diu deſideraui· Et ſic gratias
agēs emiſit ſpiritū· Tūc decius & valerianus cō=
fuſi relicto laurētio ſup craticulā ꝑrexerūt ad pa
latiū· Et facto mane ipolitus & iuſtinus p̄ſbiter
rapiētes eum·cū lintheis & aromatibus ꝯdiderūt

XCIIII· ¶ Miracula eius poſt
mortem· ¶ Gregorius thuronēſis·

Templū erat in quodā loco beati laurētij
reliquijs & nomine ꝯſecratū·qđ ꝑ incu=
riam longinqui tp̄is valde detectū erat
Qđ cū renouare loci incole vellēt ſiluas adeūt·in
ciſa leuigataqꝫ ligna trabes efficiunt·impoſitiſqꝫ
plauſtris ad locum exhibent· Quibus ꝑhumū ad
ordiendū extenſis·vna breuior eſt repta· Statim=
qꝫ ſacerdotis aīm q̄ hijs inſiſtebat dolor maximuſ
attigit·& flens valde quid ageret quo ſe verteret
ignorabat· Tunc intuens arborē breuiorem ait·
O laurenti beatiſſime·appoſitū igni glorificaui te
ſemꝑ paupes fouens ac reficiens·cogita paupta=
tem meā·qꝛ nō eſt exiguitati mee facultas qualitᷣ
hic alia exhibeatᷣ· Ilico cūctis attonitis trabes cre
uit in tāto ſpacio longitudinis·vt neceſſe eſſꝫ ꝑtē
magnā incidi· De qua induſtria plebis bn̄ficia ꝑ=
dere nephas putās·credens eā manu martiris tra
ctam ac ꝓlongatā·ꝑtem q̄ ſupēfuerat fruſtratim
decerpens·diūſas infirmitates ſepe ſūmouit· Qđ
fortunatus p̄ſbiter hijs v̄ſibus ꝓſecutus eſt· Lau
renti merito flāmis vitalibus vſte· Qui feruente
fide victor ab igne f̄ois· Cum tibi templa nouāt
breuiori robore plebes· Creueruntqꝫ trabes cre=
uit & alma fides· Stipite ꝯtracto ſua ſe mercede
tetendit· Quātum ꝑua ꝑ̇us poſtea ceſa fuit· Cre
ſcere plus meruit ſucciſa ſecuribus arbor· Et di=
dicit ſicca longior eſſe coma· Vnđ reciſa fūit·po=
pulis fert inde ſalutem· Si venit intrepidus lumi
na cecus habet· Multo plures exinde ſcripſit v̄ſi
culos quos ego p̄termiſi· Hos tm̄ pro teſtimonio
viri ſcribens· Acta āt ſunt hec apud brionas yta
lie caſtrum· Nā vidi ego hoīem q̄ grauitᷣ dentium
dolore laborās·accepta de hoc ligno a ſacerdote
ꝑticula·ſtatim vt dentē tetigit·dolore caruit ꝓti
nus· Sꝫ nec illud ſilendū putaui qđ reliquie eius
ab ī cendio hoſtilitatis erepte a quodā hoīe ſūt et
in lemoniciniū ꝯlate ſunt· Qui cuꝫ ſepiꝰ admone
retᷣ ꝑ viſum vt eaſdeꝫ a ridio abbati deferret·nec
viſionem impleret·ipſe cuꝫ ꝯiuge & omni familia
egrotare cepit· Tunc neceſſitate cōpulſus vt eas
ſācto viro detulit·mox ſanati reſtitutus abſceſſit
Cum apud mediolanenſem vrbeꝫ baſilica ī hono
re ipſius martiris cōſecrata·ibiqꝫ admirabili pul
critudine calix criſtallinus habebatᷣ· Acta vō qua
dam ſolemnitate dū ꝑ diaconem ad ſāctum altare
offeretᷣ·elapſus e manibus in terrā ruit·& in fru
ſta cōminutꝰ eſt· At diaconꝰ pallidꝰ & exāguis

colleċta diligenter fragmenta vaſculi· ſup altare
poſuit· nō diffiſus ꝙ eum poſſet virtus martiris
ſolidare· Deniqꝫ in uigilijs lacrimis & oratōnibꝰ
deducta nocte· requiſitum calicē reppit ſup al
tare ſolidatum· Que uirtꝰ cum populis nunciata
fuiſſet· tāta aīmos eoꝝ deuocōne ſuccēdit· ut a ſa
cerdote peterēt noua in honore eiꝰ deo ſolemnia
celebrari Tunc pontifex loci ſuſpendit ſup altare
calicē· et egit deuotiſſime ſolemnitatem · & in po
ſteꝝ ꝑ ſingulos annos omni populo ꝯſtituit cele
brari XCV ¶ paſſio ſācti ipoliti cum ſocijs
ſuis· Ex geſtis eius·

POſt tercium diem paſſionis ſācti laurē
tij cun rediſſet ipolitꝰ domum· ꝑuſquā
menſa poſita cibū capet· tentus a militi
bus ductꝰ eſt ad deciū· Cui decius· Nunqd & tu
magus factꝰ es· qꝛ corpꝰ laurētij abtuliſti Reſpō
dit ipolitꝰ· Hoc feci nō vt magus ſed ut xp̄ianus
Tunc deciꝰ furore repletꝰ iuſſit eū expoliari &
fuſtibꝰ ceſū pectinibꝰ ferreis laniari· At ille ma
gis ſe eſſe xp̄ianuꝫ clamās induitꝰ veſte militari· et
monitꝰ vt militiā & amiciciā decij retineret· rſpō
dit ſe velle in bona militia xp̄m ſequi· Tunc deciꝰ
tradidit eū valeriano p̄fecto vt facultates eiꝰ ac
cipet· & ipſū diris ſupplicijs ēminaret· Adducta
eſt ergo ipoliti tota familia xp̄iana cū nutrice eius
nomine ꝯcordia· Quā cū p̄fectꝰ moneret ne piꝝ
ꝯcordia reſpōdit ꝓ omībꝰ ꝙ nullatenꝰ ꝯſentirent
Vnde eā p̄ſente et gaudēte ipolito vſqꝫ ad mortē
fuſtibꝰ cedi fecit & alijs decollatis ipolitū ligatū
ꝑ pedes ad colla indomitoꝝ equoꝝ per ſpinas &
tribulos trahi iuſſit· ſicqꝫ gratias agēs ipolitꝰ ex
pirauit· Cunqꝫ omīs illos iuſtinꝰ p̄ſbiter ſepeliſſꝫ
& ꝯcordie corpꝰ inuenire nō poſſet· quidā miles
nomine porphiriꝰ rogauit quendā cloacariuꝫ noīe
hireneū occulte xp̄ianuꝫ dicēs· Secretum cuſtodi
et extrahe ꝯcordiā xp̄ianā quā valerianꝰ in cloacā
ꝓiecit· Spero enī ꝙ auꝝ & gēmas ī veſte ſua ha
bebat· cui ille· Oſtende michi locū & nocte qđ in
uenero nunciabo tibi· Perrexit ergo cū illo cloaca
rius ad locū· Qua extracta cū nichil inueniſſent
miles fugit· Et hireneus vocato habūdo xp̄iano·
tulit corpꝰ eiꝰ ad iuſtinū p̄ſbiteꝝ· Qđ ille cū gau
dio ſuſcepit & iuxta p̄dictos martires ſepeliuit·
Qđ valerianꝰ audiens hireneū & habundū xp̄ia
num tenuit & etiā viuos in cloaca necari p̄cepit·
Iuſtinꝰ v̄o p̄ſbiter eoꝝ corpa rapuit· & iuxta bea
tum laurentiū ſepeliuit· Eodē tp̄e cū deciꝰ & va
lerianꝰ de carro aureo deſcēdentes theatꝝ intro
irēt vt xp̄ianos ſupplicijs exhiberēt· arreptꝰ a de
mone deciꝰ exclamauit· O ipolite vinctū catheis
aſperis ducis me· Valerianꝰ etiā clamauit· O lau
rēti igneis cathenis me trahs· Et ſtatim p̄ſente
decio expirauit· Deciꝰ v̄o ꝑ triduū vexatꝰ mor
tuus eſt· Qđ vxor eiꝰ triphonia videns dimiſſis
omībus chriſtianis ꝓrexit cuꝫ filia ſua cirilla ad iu
ſtinum p̄ſbiteꝝ & baptizata ſequēti die orās ī do
mo ſua migrauit ad dn̄m· Audiētes aūt· xlvi· mi
lites ꝙ triphonia & cirilla chriſtiane eſſēt· vene
runt cū vxoribꝰ ſuis ad iuſtinū p̄ſbiteꝝ vt baptiſ
mum ꝑcipent· Quos cū dioniſiꝰ papa q̄ beato ſi
xto ſucceſſerat baptiſaſſet· & claudiꝰ impator ad
ductos & nolētes ſacrificare in carcerē recluſiſſet
cirillā aggredit̄· & nolēs ſacrificare nec nubere cū
p̄dictis militibꝰ decollat̄· XCVI·
¶ De impio claudij & paulo hereſiarcha & pe
lagia peccatrice· Euſebiꝰ in cronicis·

ROmanoꝝ igit̄· xxviij· regnauit claudius
annis fere duobꝰ· cepit āt anno dn̄i· cc·
lxxi· Mundi vero q̄rtimilleſimo· xxxiiij·
¶ Hugo vbi ſupra· Hoc tp̄e apud antiochiā de
metrio epiſcopo· paulꝰ ſamoſatenꝰ genere ſucceſ
ſit· Qui indigna de chriſto ſentiēs· vtpote tumi
dus & ſupbus hereticꝰ· predicabat eū hoīem tm̄
cōmunis nature fuiſſe· ¶ Helmādus· Hic paulꝰ
ab omī antiocheno ꝯcilio ꝯdemnatus· cū de eccl'ia
nollet exire ex p̄cepto aureliani publica manu ex
pulſus eſt· cui ſucceſſit donnus demetriani filius
xvi· epiſcopꝰ ātiochie· Huiꝰ donni tp̄e pelagia q̄
peccatrix appellat̄ mirabilit̄ ꝯūſa eſt· ¶ Ex geſtis
eius· Igit̄ apud antiochiā cū ꝓ q̄daꝫ cauſa· viij· vi
cini epiſcopi ꝯueniſſent· & int̄ eos ep̄s heliopole
os q̄ nunc damiata vocat̄ aſtāti populo predicarꝫ
ſubito palā omībꝰ quedā femina ſupſidens· & ſū
ma faciei & ornamēti pulcritudine ſplendēs· ante
eos in maxima pompa iuuenū & puellaꝝ p̄ceſſit·
Quos ita ſui ꝯtemplatione trahebat· ꝙ vbicunqꝫ
eſſet· totū aerē muſci & diūſorum aromatū odore
replebat· Quā vbi epiſcopi nudo capite pretiſſe
viderunt· ab ipſa quaſi a peccato grauiſſimo fa
cies auerterunt· Sāctus v̄o donnꝰ epiſcopꝰ eli
opoleos cum eā diutiꝰ aſpexiſſet· declinās int̄ ge
nua facieꝫ· poſt longas lacrimas & ꝓfunda ſuſpi
ria dixit ad epiſcopos· Rogo vos fr̄es nō eſtis de
lectati in tāta pulcritudine mulieris huiꝰ· Ipſi ve
ro tacuerūt· Iteꝝ flēs & valde ſuſpirās pectuſqꝫ
ꝑcutiēs rurſus interrogauit eos ſi eſſēt illiꝰ muli
eris pulcritudine delectati· Et illis adhuc tacenti
bus ait· Vere delectatꝰ ſum ego· & huius michi
placuit pulcritudo· In veritate dico vobis ꝙ hāc
in iudicio deꝰ nobis preferet· vbi nos & ſacerdo
tium noſtꝝ iudicaturꝰ eſt· Nos enī ſponſū haben
tes eternū· donātem ſibi ſuientibus diuitias eter
nas· & ipſuꝫ videre in quē deſiderāt angeli ꝓſpi
cere· negligētia torpemus· & anime noſtre facieꝫ
ab immundicia nō leuamꝰ vt ei placeamꝰ· ſic hec
miſera totiēs & tādiu ſtuduit· vt ſe abluēs & de
pingens amatoribꝰ ſuis pulcra appeat· Qui ſi ho
die videnť· cras forte nō erunt· Hijs & huiuſce
modi dictis· ingreſſus hoſpitiū ꝓruit ſup pauimē
tum· et faciē ad terrā feriens & lacrimis rigās et
dixit· Altiſſime deꝰ ignoſce michi miſero peccato
ri· qꝛ vniꝰ dici meretricis ornatꝰ· totiꝰ vite mee
induſtriā ſupauit· Illa ꝓ terrenis et caducis ſum
mo ſe ſtudio decorauit· Ego tibi immortali deo
placere ꝓpoſui· et ꝑ meā negligentiā nō impleui
ego mādata tua non ſuaui· Illa quecunqꝫ ꝓmiſit
hominibꝰ cū alacritate p̄fecit· XCVII·
¶ De ꝯuerſione eiꝰ et penitentia·

CVm hec et hmōi diceret et fortiter eiu
laret ſubito obdormiuit· Et ecce viſum
eſt ei ꝙ columba nigra et ſordida et fe
tida nimis cū circūuolās dum q̄ſi ad miſſā ſtās· ca
thecuminos ꝓcedere precepiſſet· columba diſpuit
Et poſt miſſā rediens et ab ipſo epiſcopo in vaſe
aque merſa· inde mūda et cādida exiēs· tā alte vo
lauit ꝙ videri nō potuit· Euigilās epiſcopꝰ cū hec
clerico ſuo retuliſſet ad eccleſiā ꝓceſſit· Et dum
populo predicaret illa meretrix que tunc cū filijſ
illum predicātem audiuit· in tantā cōpunctioneꝫ
mutata eſt· ꝙ ſero ad hoſpitiū epiſcopi nuncios
ſuos mittens ſic ei mādauit· Sācto epiſcopo diſci
pulo chriſti· peccatrix diſcipula dyaboli· Audiui
de deo quē colis ꝙ nō ꝓ iuſtis ſꝫ ꝓ peccatoribus

de celo deſcendit·et cū publicanis & peccatoribꝰ
comedit & bibit· Si ergo diſcipulꝰ eiꝰ es ne me
deſpicias penitentem & ſaluari cupientē· Ad hec
ep̄s· Quecunqȝ es deo nota es·ſed tn̄ peccatorē
nō temptes Q̄ ſi ſaluari & me videre depoſcis·in
ter alios ep̄os me videbis· Nā ſolū me videre nō
poteris· At illa nō differēs·ad hoſpitiū ſe epi ve-
niſſe mandauit· Et ille ꝯuocatis ep̄is eā intrare p̄
cepit· Que ſtatim ꝓſtrata cū eiulatu magno pe-
des eiꝰ lacrimis rigās ac crinibꝰ detergens dixit·
Miſerere dn̄e peccatricis· Ego em̄ ſū pelagia·pe-
lagus iniq̄tatis·exundās fluctibꝰ peccatoꝝ· Ego
ſum abiſſus ꝑditōis & vorago & laqueꝰ aīarum·
Fac ergo me pater ſāctiſſime baptizari ut aīa mea
poſſit a tātis ſordibꝰ emūdari· Cui ſāctus· Cano
nes ꝯtinent nō debere meretricē aīn baptizari·niſi
ꝑ fideiuſſores ſpōdeat ꝙ ſe vltra prauis actibus
nō inuoluat· Tūc illa iterū ſe ꝓſternēs & eiulās di
xit· Ratōem reddes deo ꝓ aīa mea· & tibi impute
tur peccatoꝝ meoꝝ iniq̄tas·ſi me diſtuleris bapti
zare· Tunc ſāctus nomē eiꝰ q̄ſiuit· Et illa dixit ſe
a natiuitate pelagiā·ſȝ ꝓpter pompā ornamētoꝝ
nuncupari a populo margaritā· Cū ergo baptiza-
ta & cōmunicata fuiſſet·ecce dyabolꝰ q̄ſi nudus
clamabat dicēs· O violentia quā patior ab hoc ſe
ne· Nō tibi ſufficiebat eliopolis ciuitas q̄ quondā
mea fuerat· Maledictꝰ dies in quo michi ꝯtrariꝰ
natus es· Quid feciſti michi pelagia· Et tu in me
iudā imitata es· Dn̄a mea margarita q̄d tibi vnq̄
malefeci· Nōne te lapidibꝰ p̄cioſis ornaui·nōne te
auro & argēto cumulaui· Dic michi in quo te ꝯtri
ſtaui & tibi ſatiſfacio tm̄ me ne deſeras ne oppro
brium chriſtianis efficiar· At illa ꝓtinus ſe ſigna-
uit & flatu ſuo dyabolū effugauit· Tercia die cō
gregatas ꝑ ſuum ſuū oīs diuitias ad cōſiliū epi
nichil ſibi retinēs paupibꝰ erogauit·et induta ci
licio nocte fugit· Poſt tres annos clericꝰ eiuſdē
ep̄i hieruſalem ire voluit·et dixit ei ep̄s vt inē ali
os monachos hominē dei pelagiū diligēter inqui
reret & humiliter ſalutaret· Et nō intelligēs cleri
cus q̄d hoc eſſet·pelagiā ſb̄ noīe pelagij ī cella re
cluſā in monte oliueti reppit·et cognitꝰ ab ea ip-
ſam ꝓpter nimiā maciē non cognouit· Et dixit ei
pelagiꝰ Habes ep̄m· Cui ille. Etiā dn̄e pater· Oret
inquit ꝓ me q̄ȝ apoſtolꝰ chriſti eſt· Et viſitās cle
ricus oēs alios cū audiſſet magnā famā pelagij
rurſus ad eū rediīt· Et cū ſe vocāti nō reſpōderē
aperiēs feneſtrā defunctū inuenit· Et cū vocati
monachi cū epiſcopo hieroſolimoꝝ·pelagiū d̄ cel
la extrahētes & ſepeliētes feminā inuenerūt· Et
laudātes deū q̄ multos habet ſuos abſconditos·
honorifice eā in loco mūdiſſimo poſuerūt· Tunc
reuerſus clericꝰ antiochie epiſcopo ſuo r̄tulit q̄d
vidit & intellexit·ꝙ illa eſſet pelagia q̄ ab epiſco-
po baptizata pelagiū ſe fecerat appellari·

XCVIII· ¶ De ſancto quirino martire· ¶ Ex geſtis eiꝰ·

Temporibꝰ claudij venit de ꝑſide ꝑtibꝰ
marius & eius vxor martha· & duo filij
audifax & abacuc chriſtiani viri romam
ad oratione apoſtoloꝝ· Et dū ſolicite corꝑa ſācto
rum ꝑ carceres & ſepulturas ꝯquirerēt·veniētes
in caſtꝝ trās tiberim inuenerūt ſāctum quirinum
in carcere·q̄ multa iā verbera ꝓ chriſti noīe ſuſtat
ꝑpeſſꝰ & facultate ſua nudatꝰ· Et mittētes ſe ad
pedes eiꝰ vt oraret ꝓ eis·ceperūt ei miniſtrare d̄
facultatibꝰ ſuis·lauare pedes q̄ ꝯſtricti erāt i car-
cere·et aquā in capita ſua & filioꝝ ſuoꝝ effūdere
Eodē tp̄e claudiꝰ diuulgato p̄cepto vt chriſtiani
punirent tenuit·cc·lxij·chriſtianos·quos iuſſit ex
tra muros porte ſalarie duci·ibiqȝ in amphiteatro
incluſos a militibꝰ ſagittis interfici· Quoꝝ corꝑa
ſepelierūt mariꝰ & vxor eiꝰ martha & filij vnacū
iohāne preſbitero·deinde veniētes in caſtꝝ & re
quirētes beatū quirinū· & nō inuēto eo cōtriſtati
ſunt· Et audiētes a quodā ꝙ noctu fuerat gladio
interfectꝰ & in tiberim iactatꝰ·cuiꝰ corpꝰ remā
ſerat ī inſula licaonee·ꝑgentes noctu collegerūt
illud & ſepelierūt·viij·kl·aplis· XCIX·

¶ De ſancto mario et martha cū filijs et valentino et aſterio·

Igitur veniētes trās tiberim audierūt in quodam
cenaculo multitudinem chriſtianoꝝ pſallentiū·et
pſallētes cū gaudio ianuā ītrauerūt·datiſqȝ oſcu
lis et oratōe ad deū fuſa māſerunt ibi duobꝰ men
ſibus in abſcōdito· Tūc tenuit claudiꝰ ſanctū va
lentinū preſbiterū·et clauſū in carcere in cathenis
et cōpedibꝰ·poſt biduū iuſſit eū ſibi preſentari·
Interrogatuſqȝ ab eo cū blaſphemaſſet deos eoꝝ
ſcilicet aſſerēs iouē et mercuriū fuiſſe miſerrimos
homines·et turpes in immūdicijs ſemꝑ delectā-
tes aſterio p̄ncipi traditꝰ eſt·vt eū ſi poſſet molli
bus ſermonibꝰ humiliaret· In cuiꝰ domū introiēs
poſitis genibꝰ orauit dicēs· Deꝰ oīm creator qui
miſiſti filiū tuū vt nos de tenebris ad lucē ꝑduce
ret·ꝯuerte domū iſtā et da ei lumē poſt tenebras
vt te deū verū trinū et vnū cognoſcat· Audiens
aſteriꝰ dixit ad eū· Miror prudentiā tuā vt dicas
q̄ȝ chriſtꝰ veſter lumē eſt· Et ille vere inq̄t lumen
eſt veꝝ·q̄ȝ illuminat oēm hominē venientē i hūc
mundū· Reſpōdit aſteriꝰ· Si illuminat oēm ho-
minē·illuminet ergo hāc quā habeo filiā adopti-
uam ante fere duos dies ſubito obſcuratā·et tūc
quecūqȝ p̄ceperis faciā· Cunqȝ eā currēs adduxiſ
ſet·valentinꝰ fuſa oratōne cū lacrimis poſuit ma
num ſuꝑ oculos eiꝰ dicēs· Domine hieſu chriſte il
lumina famulā tuā q̄ȝ tu es deus veꝝ lumē· Hoc
dicto apti ſunt oculi eiꝰ· Q̄d videns aſteriꝰ ceci-
dit ad pedes ſācti cum vxore ſua·petēs vt q̄d q̄d
ſciret ꝓ ſalute eoꝝ faceret· Tūc indixit eis triduū
ieiunium· Aſteriꝰ aūt q̄ȝ multos chriſtianos in cu
ſtodia habebat·oēs relaxauit et ꝯſūmato triduo
baptiſmū cū oī domo ſua ſuſcepit· Erāt aūt aīe
fere·xlvj· ·C·

¶ De paſſione eorundē ſanctorum·

Hoc factum vt audiuit mariꝰ et familia
eius venerunt cum gaudio ad domum
aſterij gratias agētes·et fuerunt ibi per
xxxij·dies· Poſt hoc claudiꝰ req̄rens aſteriū p̄n
cipem·cum audiſſȝ de facto eiꝰ iratꝰ miſit milites
et tenuit oēs quos inuenit in domo eiꝰ· Qui cū
vincti fuiſſēt adducti·iuſſit aſteriū vinctum in
ciuitatē hoſtiā duci·et ibi ſub penaꝝ examinatiōe
mori·valentinū autē fuſtibꝰ cedi et capite trun-
cari· Qui decollatus eſt·xvj·kl·marcij· Marium
vero et vxorem eius et filios ſibi preſentatos tra
didit muſciano vicario·iubens vt vel ſacrificarēt
vel diuerſa tormenta ſuſtinerent· Qui iuſſit eos
expoliari et fuſtibus cedi· Illis autem deū glorifi
cantibus iuſſit eos in eculeo ſuſpēdi·deinde ignē
ad latera eoꝝ poni·et vnguibus ferreis radi·po-
ſtea iuſſit eos in ꝯſpectu marthe de eculeo depo-
ni et manus eoꝝ precidi· Tunc cepit ſanguis ema
nare·martha autē ſanguinem mariti et filiorum

colligens·caput ſuū cum gaudio liniebat·Tunc iuſſit vt manibꝰ ad colla ligatis·ꝑ ciuitatē circūi=rent·deditqȝ ſñiam vt decollarent̄·Martha vō̄ in nimpha necaret̄·Quoꝝ coꝛpa etiā ne ſepulturā haberent iuſſit incēdi·Matrona vō noīe felicitas coꝛpa eoꝝ ſemiuſta rapuit & ī p̄dio ſuo ſepeliuit Marthā vero de puteo leuatā eis iunxit·xiiij·kl'·febr̄·

CI·

De ſanctis ceſario & iuliano·Ex geſtis eoꝛum·

Tempoꝛe quo claudiꝰ matrem ſuā gladio necauit·& edictū de colēdis ydolis per oꝛbē diuulgauit·erat firminꝰ quidā pontifex terracine ciuitatis cāpanie q̄ ꝑ ſinglos annos die kalendaꝝ ianuarij q̄ſi pro ſalute reipublice & pꝛincipū ſuadebat hoīb9 crudelē audaciā exercē Nā ante p̄fatum diē nutriebat̄ iuuenis·viij·l'·vi·menſibꝰ in delicijs & laſciuijs ad interfectionem ſuā·Exactoqȝ tp̄e armatꝰ & oꝛnatꝰ aſcēdebat in montē marinū·& arrepto equo ꝓ ſalute reipublice & pꝛincipū & ciuiū ſalubꝛitate·et vt nomē haberet gloꝛie·ipſe ſe p̄cipitabat moꝛti·Cuiꝰ coꝛpꝰ cū grādi honoꝛe colligebat̄·et ad templum ꝑducebat̄ appollinis·et incendio cōſumebat̄·et cineres eiꝰ in templo ꝓ ſalute reipublice & ciuiū recōdebant̄·Eo tp̄e ceſariꝰ dyaconus ex affrica terracinā veniēs·latuit ibi vſqȝ ad diem kalendaꝝ ianuarij apud quendā xp̄ianū·cū quo vigilijs & oꝛatōibꝰ deo ſuiebat·Die aūt p̄notata cuȝ vidiſſet hmōi crudelē ſupſtitionē ī quodā iuuene luciano ſpecioſo exhiberi·clamare cepit·Viri ſapientes q̄d facitis ſtultū ſcelꝰ·ve reipublice & p̄ncipibꝰ q̄ cruciatibus delectātur & effuſione ſāguinū ſaginātur Vt quid ꝑditis aīas dyabolice fraudis ꝑſuaſionibus·Tunc firminꝰ pontifex iuſſit eū teneri·& in cuſtodia publica recludi·Qui ꝑ triduū maceratꝰ & leōcio ꝯſulari traditꝰ·ductꝰ eſt ante carpentū eiꝰ ad templū appollinis vinctꝰ & nudꝰ·Et cum appꝛinquaret oꝛāte eo ſbito ruit templū et occidit pontificē firminū·Poſt hoc iteꝝ ceſariꝰ in cuſtodia maceratꝰ·& capillis ſuis tectꝰ·q2 nudꝰ erat & eum angelꝰ dn̄i die noctuqȝ cuſtodiebat in medium foꝝ eſt adductꝰ·Illic ſbito cadēs in terram adoꝛauit dn̄m·factaqȝ eſt lux ſic̄ coꝛuſcatio & ꝓtexit eum·Videns hoc leonciꝰ clamauit·Vere dn̄s deus eſt quē p̄dicat ceſariꝰ·Et miſit ſe ad pedes eiꝰ et expoliās ſe clamidē ſuā induit eū petens coram oīm populo baptiſmū·Cumqȝ baptizatꝰ eſſet veniēs iulianꝰ p̄ſbiter dedit ei coꝛpꝰ & ſāguinem dn̄i·Cumqȝ ꝑcepiſſet oīa ſacramēta·cum gloꝛia tradidit ſpiritū·cuiꝰ coꝛpꝰ vxoꝛ eiꝰ & filij ſepelierunt in agro·iij·kl'·nouembꝛis·

CII·

De paſſione eoꝛundē & quoꝛundā alioꝛum·

Doꝛro luxuriꝰ p̄mus ciuitatis tenuit ſanctos ceſarium & iulianū·et dedit ſñiaȝ in eos·vt ambo in ſaccū miſſi in mare p̄cipitarent̄·cumqȝ ducerent̄ dixit beatꝰ ceſariꝰ ad luxuriū·Me quidē aqua que regenerauit q̄ſi filiū ſuum ex ſe renatū ſuſcipiet·vt ipſa me modo martireȝ faciat vnacū patre meo iuliano·Te āt hodie comedet coluber vt ſciat hoc oīs patria·q2 vindicat dn̄s ſanguinē ſuoꝝ ſuoꝝ & virginum q̄s ignibus cremaſti·Eodē igit̄ die quo merſi ſunt·vnda eos in litus eiecit·vbi etiā iacebat luxurius totus turgidꝰ a ſerpente ꝑcuſſus·Nā cum equo ſedens in villā ſuā ad p̄ꝛādium feſtinaret·& iuxta arboꝛē p̄teriret·ꝓ nequitia ſua euenit vt elaberet̄ ſpens inter collum & capitiū tunice eiꝰ·& intra tunicā ventrem eiꝰ & latera·ſuis moꝛſibꝰ laniaret·ita ut ꝑ ventrem vſqȝ ad coꝛ ꝑueniret·Iacens ergo totꝰ tumidꝰ anteq̄ꝫ expiraret vidit oculis ſuis ambos pſallentes,et cū honoꝛe digno coꝛpa eoꝝ vndas afferētes·Quoꝝ coꝛpa ſuus dei euſebiꝰ collegit·qui cū ipſo habitauerat·& ſepeliuit nocte iuxta terracinā ciuitatē ſb̄ die kalendaꝝ nouēbꝛis·Poſt dies aūt·v·inuentꝰ eſt & ip̄e euſebiꝰ in loco vbi poſuerat beatos martires·ieiunās & adoꝛās dn̄m Q̄d videntes multi occurrebāt ei & ꝯuertebant̄ & baptizabātur a felice p̄ſbitero·Hoc audiēs leōciꝰ filiꝰ leoncij ꝯſularis fremens de moꝛte patris ſui·miſit milites & tenuit felicē p̄ſbiteꝝ & euſebium monachum·Et interrogatos d̄ doctrina reclufit eos in cuſtodia·Et nolentes ſacrificare iuſſit decapitari & coꝛpa eoꝝ in fluuio iactari·Que ad litus ꝓiecta quarcꝰ p̄ſbiter collegit & ſepeliuit iuxta coꝛpus beati ceſarij non̄·nouembꝛis·Ex martirilogio·Itē celebꝛat̄·viij·kl'·nouēbꝛis rome natale·xlvj·militū·qui vt ſupꝛa p̄miſſum eſt baptizati ſunt ſimul a dioniſio papa·mox iubēte claudio impatoꝛe decollati ſunt·ac via ſalaria ſepulti vbi & alij martires·cxxj·poſiti ſūt·Inter quos fuerunt quattuoꝛ milites chꝛiſti·theodoſiꝰ·lucius marcus·et petrus·Hugo vbi ſupꝛa·Tandem claudio impatoꝛe defuncto·quintillꝰ frater eius ab exercitu electꝰ eſt & in ſolio ſublimatꝰ·ſȝ ſeptima die impij ſui interfectꝰ occubuit·

CIII·

De impio aureliani et excōmunicatōne pauli·Euſebiꝰ in cronicis·

Romanoꝝ igit̄·xxix·regnauit aurelianꝰ annis quinqȝ et menſibꝰ ſex·cepit auteȝ anno dn̄i·cc·lxxiij·mundi vō q̄rtimilleſimo·cc·xxxvj·Hugo vbi ſupꝛa·Iſte fuit vir induſtrie militaris exptiſſimus·et gothoꝝ gentē duris p̄lijs ꝓfligauit·ditionēqȝ romanā antiquis terminis ſtabiliuit·et ſiriā totā receptā ſibi vendicauit·Vnde magna gloꝛia rome triūphauit·et poſtmodum eā muris firmioꝛibꝰ cinxit·Preterea ſtatus eccleſie hoc tp̄e ꝓſperioꝛibꝰ incremētis augebat̄ quotidie·Vnde apud anthiochiā celebꝛe ꝯcilium eſt aggregatū·in quo p̄fatus paulꝰ hereticus eſſe maniſeſtiſſime ꝯuincit̄ et ꝯdemnat̄ inſiſtente maxīe malchione p̄ſbitero ātiochene eccleſie viro ſapientiſſimo·Huic em̄ ab oīm epoꝝ cōcilio ꝑmiſſum eſt diſputare cū paulo excipientibꝰ notarijs·Veꝝ paulus ſaccrdotio abſciſus et communione pꝛiuatꝰ·nolebat exire de domo eccleſie·vnde interpellatus eſt aurelianꝰ impatoꝛ vt illū exire cōpelleret·Qui mox impauit illum vi publica expelli·et donnū viꝝ multis virtutibꝰ adoꝛnatum eccleſie tradi·Nōduȝ em̄ erat aurelianus malis deprauatus ꝯſilijs quibus ꝓceſſu tempis bonū poſtmodum ꝓpoſituȝ immutauit·et pſecutionem duriſſimā eccleſijs excitauit·Quo pſecutōis tp̄e in gallijs paſſa eſt beata virgo columba in ȝenonē ſi ciuitate·alijqȝ ꝑ diuerſas ꝓuīntias occubuerūt·libenter ꝓ chꝛiſto diuerſa certamina pagentes·

CIIII·

Paſſio ſancte columbe virginis·Ex geſtis eius·

Ingreſſus eſt igit̄ aurelianus ciuitatē ſenonis·viij idus ianuarij anteq̄ꝫ accuſata eſt et adducta beata virgo columba·que poſt multas īterrogatōes iuſſa eſt ꝑ iuuenē turpiſſimū vulgari noīne baruchām·mitti in ꝯtubernio publico meretricū·Qui cum veniſſet in amphiteatꝝ et intraſſet in cellam eius·dixit ei columba·Cur cum tanta feritate a d

me intras · Nunq̄ tibi poſſum reſiſtere · aut te re=
pellere a me · Sꝫ patientiā habe ne iraſcat̄ tibi dn̄s
meus hieſus chriſtꝰ · et moriaris · Qui cōpunctus
in hijs verbis nō acceſſit ad eā nec tetigit eā · Et
cum oraret columba vt caſtitas eiꝰ a dn̄o ꝯſerua=
retur · ecce vrſa egrediēs de cauea amphiteatri in
greſſa eſt cellā virginis · et inueniēs ibi hominē &
allidens eum ante pedes columbe intendebat in
faciē eiꝰ expectās · et quaſi querēs q̄d iuberet d̄ il=
lo · Tunc columba ad vrſā · Adiuro te ꝑ hieſū chri
ſtum vt non ledas eū · ſed ꝑmitte me loqui cū illo
Tunc vrſa dimiſit eū & poſuit ſe ante oſtiū ne il=
le effugeret · et ne aliꝰ ingrederet̄ · Tūc colūba ait
ad iuuenē ecce fera audito nomine xp̄i dat hono=
rem deo tu q̄re in tāto ſcelere ꝑſeueras · Aut ergo
ꝑmitte te xp̄ianū fieri · aut te deuorabit fera · Tūc
iuuenis exclamauit · Si q̄s chriſtū nō ꝯfitet̄ ſanus
hinc nō diſcedat · Q̄d cum dixiſſet vrſa tulit ſe de
hoſtio & exiēs iuuenis clamabat ꝑ totā ciuitatem
non eſſe aliū deū niſi quē colūba colit · Quo audi
to aurelianꝰ iuſſit eā adduci · Cui reſponſū eſt · ꝙ
hoc nō poſſet fieri q̄ꝛ vrſa cū ipſa intus eſt · Tunc
aurelianus iuſſit ignē circa carcerē accendi · Vrſa
vēo vt vidit ignē cepit fremere & rugire · Cui di
xit columba · Noli timere · q̄ꝛ nō cremaberis hodie
ſed morte cum deo placuerit morieris · Tunc vrſa
tectū aſcendēs erupit ꝑ medias turbas & exiuit
ciuitatē · Tūc populꝰ clamare cepit ut ignis extin
gueret̄ ne columba cremaret̄ · Quibꝰ hoc claman
tibus venit nubes de affrico & extinxit ignē · tūc
adducta eſt columba in mediū populi · Ad q̄m au
relianus · Que ſūt tua artificia · ꝙ te nec ꝯtingunt
incendia nec fere · Que reſpōdit · Nichil aliud no=
ui niſi chriſtū cū patre & ſpūſācto · Cui dixit au=
relianꝰ · Iā tibi ꝯteſtatꝰ ſū · ne nomē hoc memore=
ris · Precepit aūt vt ad primū miliariū duceret̄ &
ibi decollaret̄ · Quo cū ducta fuiſſet · rogabat vt
paꝝ dimitteret̄ orare · Sed cū nollēt qui ducebāt
eā · dedit eis anabolariū ſuū ſiue palliū ſericū · et ꝑ
miſerūt · Qua orāte · clamauit ad eam vox de celo
dicens · Veni columba mea veni · apti ſūt tibi celi ·
ꝯgaudet tibi ꝑadiſus deuictis omībꝰ collucta tio
nibꝰ · ſtat filiꝰ dei qui tibi coronā in capite ponat
& ſuſcipiēt te angeli dei · et ꝑducent te in ciuitatē
magnā hieruſalē celeſtē · Tūc vnus miniſtroꝝ ex=
tracto gladio amputauit caput eiꝰ in oratōne · Fa
ctum eſt hoc pridie kl' · ianuarij · · CV ·

Paſſio ſācti ſauiniani martiris · ¶ Ex geſtis eiꝰ ·

EOdem t̄pe in territorio trecaſſino ſb̄ eo=
dem ꝑncipe paſſus eſt ſāctꝰ ſauinianus
ſiue ſauinꝰ · Audiēs aūt aurelianꝰ ꝙ ꝑ il
lum multus populꝰ credebat iuſſit criſpinū ꝑſidē
cum · xc · militibꝰ ad illū ꝑgere · eūqꝫ vinctū ad ſe
adducere · At illi inueniētes eū orātem timuerunt
ei aꝓpinquare · Audiens hoc impator miſit alios ·
cxc · ad eū · Qui & ipſi eū inuenerūt orātem & cuꝫ
eo orare ceperūt · Cōpleta oratōe cū ſurrexiſſet di
xerunt ei milites · Dn̄s noſter impator deſiderat
te videre · Reſpōdit · Vadā · cunqꝫ impator inter=
rogans eū in fide firmiſſimū inueniſſet · iuſſit eum
in cuſtodia mitti · & a · xlvij · militibus cuſtodiri ·
Qui ꝑ eū ad chriſtū cōuerſi arma depoſuerūt · &
iubente impatore decollati ſūt · Qui & ſauinianū
ſibi ꝑ̄ſentatum ꝓ ꝯfeſſione chriſti iuſſit manus et
pedes ligari & ad vectes ferreos cedi · & ī capite
eiꝰ caſſidē igneā mitti · In ignē quoqꝫ poſitus eua
ſit illeſꝰ · Poſt hoc iuſſit impator lignū exhiberi ſe
cundum ſtaturā eiꝰ & poni ante palatiū · et terni
milites t̄nas ſagittas ſuꝑ eū iniecerūt · Cunqꝫ cre
deret impator eas corꝑi eiꝰ infigi · ille a dextris et
a ſiniſtris eiꝰ a vēto ſuſpendebātur · Et ne vna q̄=
dem corpꝰ eiꝰ tetigit · Poſt hoc veniēs ad eū ait ·
Vbi eſt deꝰ tuus · Veniat & liberꝫ te de manibꝰ
meis vel de ſagittis hijs · Exiliēs aūt vna de ſagit
tis ingreſſa eſt in oculū impatoris & excecauit eū
Qui iratus iuſſit ſāctum in carcerē a · xc · militibꝰ
mitti & in craſtinū decollari · At illo orāte milites
excecati ſūt & cathene ferree ſūt ꝯfracte · Sāctus āt
iter carpēs ꝑuenit ad ripā ſecane · Ipſoqꝫ orāte fa
cta eſt aqua quaſi petra ſolida · et pedibꝰ ad locū
ſibi demonſtratū ꝑuenit · Iterūqꝫ orauit dn̄m vt
celeriꝰ eū iuberet coronari · Tunc leuatis ocul' vi=
dit milites extracto gladio venire volotiꝰ vt euꝫ
decollarēt · Sed cū aꝓpinquare timerēt ait ad eoſ
Venite & portate de ſanguine meo impatori · vt
videat gloriā dei · Cunqꝫ ꝑcuſſus fuiſſet · gutta ſā
guinis cecidit ſuper caput carnificis et ipſi ꝯuerſi
clamauerūt dicētes · Dn̄e ꝑce peccatis noſtris · q̄ꝛ
de ſanguīe ſācto tuo baptizati ſumꝰ · Sāctus aūt
caput ſuum apphendens portauit illō pedes · xlix
Milites aūt collegerunt de ſāguine ſācto & liga=
tum in lintheo detulerunt impatori · Aptiſqꝫ ocul'
vidit · & deum chriſtianoꝝ glorificauit · Paſſꝰ eſt
aūt iſte ſāctus · iij · kl' · februarij · CVI ·

¶ Modus conuerſionis eiuſdē ·

IStius ſācti pater ſauinꝰ natꝰ eſt in opi=
do ſauionēſi · Qui poſt primā cōiugem
accepit ſecundā ex pellopia ciuitate de
genere caldeoꝝ valde locupletem · Ex ꝑ̄ma vxore
habuit ſauinum ſiue ſauinianuꝫ filium · ex ſecunda
ſauinā filiā · Sauinianꝰ āt cuꝫ legiſſet hunc verſū
Aſperges me dn̄e yſopo ꝛc̄ · orabat vt ſciret inter
ꝑ̄tationē eiꝰ · cui angelꝰ dixit · cum aſperſū fuerit
criſma ſuꝑ caput tuum mundaberis a delicto ma
ximo · cum lotus fūis ex aqua viua in nomine dn̄i
noſtri hieſu chriſti cādidior eris ꝙ̄ nix · Surgēs er
go ſauinianꝰ & volēs ꝯuertere patrē ſuuꝫ · obiur
gatus ab eo ꝓpter metum darij ꝑ̄ncipis receſſit in
de · et queſitꝰ nō eſt inuentꝰ · Venit ergo in galliā
et paſſꝰ eſt ſub aureliano vt diximꝰ · in territorio
trecaſſino · cum eīn illuc fugiēs veniſſet ſuper flu
uium ſecane ꝓſtratus orauit vt ibi baptizaret̄ · Et
cuꝫ baptizatꝰ eſſet venit vox dicēs · Sauiniane di
lige q̄d inuenire voluiſti · Statimqꝫ fixit baculum
in terrā · Et facta oratōe corā multis aſtātibꝰ vir
ga illa ramos et frondes ac flores ꝓduxit · Et ex il
lis q̄ hoc viderunt · M · xvij · ꝯuerſi ſunt · Aurelia
nus autē hoc audiēs · q̄ oīs vbicunqꝫ xp̄ianos oc
cidi preceperat · miſit milites vt eum adducerent
At vbi venerunt ad eū inueniētes orātem timue
runt accedere ad euꝫ et cetera q̄ ſupra retulimus ·
CVII · ¶ De ſancta ſauina ſoro
re eius ¶ Ex geſtis eius

QVnqꝫ ſoror eiūs ſauina quotidie grauit̄
eum fleret et ꝓ eo quotidie jeiunans ſem
per ydolis ſupplicaret · Tandē dormienti
ei apparuit angelꝰ dn̄i dicens · Sauina noli flere · ſꝫ
quecunqꝫ habes derelinque et inuenies fratrē tu
um in honore maximo ꝯſtitutum · Que ſtatim eui
gilans dixit ad collactaneā ſuā · Amica mea ſenſiſti
aliq̄d · Que reſpōdit · Senſi dn̄a q̄ꝛ vidi hoīem in=
cognitum an̄ te ſtantē neſcio q̄d loquentē · Ait illi
Nō me accuſabis · Reſpondit · Domina abſit vt te
incuſem · ſed quiquid vis fac t̄m ne te occidas · Et
ſic ī trecaſſio ambe oīa relinquētes fugerūt · Et

cum pater ei⁹ feciſſet eā queri p monte3 & valles
& inueniri nō poſſet· expandens man⁹ ad celū di
xit· Si tu es de⁹ potens ī celo q̄ nos ſaluare poſſis
deſcende nūc & pcute omnia ydola mea· que vſq3
nunc adoraui· q̄ michi nō potuerūt ſaluare natos
meos· Tunc dn̄s de celo intonās ↄfregit oīa ydo-
la q̄ ibi erāt· Q̄d multi audiētes crediderūt ī chri
ſtum· Poſt hoc beata ſauina venit romā ad tumu-
lum ſācti petri· Cunq3 fama ei⁹ peruniſſet ad euſe
bium papā baptizauit eā· Et cū eſſet ī albis orās
ſanauit ibi duos cecos & duos ↄtractos· Et fuit
ibi· v· annis· Dormiēti igr̄ apparuit angel⁹ dn̄i di
cens· Sauina quid feciſti· Cur dimiſiſti pentes &
om̄ia q̄ habebas· & nunc in delicijs epularis & nō
pegrinaris· Surge & vade in trecas ciuitatē cam
panie & ibi inuenies fratrē tuū· Euigilās ergo di
xit famule ſue· Nō oportet nos hic ampli⁹ habita
re· cui illa Domina q̄d vis facere· ecce ciues valde
te diligunt & tu vis in pegre mori· Reſpondit ſa
uina· De⁹ ꝓuidebit nobis· Et accepto pane orde
aceo diſceſſit inde & venit ī vrbē rauēneſem· Cū
q3 veniſſet ante domū cuiuſdam diuitis cui⁹ filia
moriebat̄· dixit ancille dom⁹ que foras exierat vt
ibi hoſpitaret̄· Que reſpōdit· Domina quō potes
hic hoſpitari· q2 filia dn̄oꝝ meoꝝ morit̄· & aſtātes
grauiter lamentant̄· Cui beata ſauina nō ꝑꝑ me
morief̄· Intrauit ergo ancilla ad dn̄am· Que ſta-
tim accurrēs introduxit ſauinā· Et ꝓtin⁹ ſauina
appheſa manu dextra egrotātis· orās erexit ea3
ſanā· Et cū vellent pentes retinere eā nō potue-
runt· Et inde venit in trecas ciuitatē· Vbi cū eſſ3
ad miliariū ciuitatis dixit famule ſue ut modicum
repauſaret· Tūc exiens de vrbe vir quidā vene-
rabilis liceri⁹ dixit eis· Vnde eſtis· Sauina reſpō
dit· Domine hinc ſū de illa ciuitate· At ille· Cur
mentiris q2 loq̄la tua te iudicat pegrinā· ſauina re
ſpondit· Dn̄e vere pegrina ſū· et diu pditum req̄-
ro fratrē meū ſauinianū· Reſpōdit liceri⁹· Vir il
le quē queris ante paululū ꝓ xp̄o decollat⁹ eſt· et
ibi in illa domo ſepult⁹· Vade ergo illuc & reuer
tere ad nos· et bn̄ tibi erit nobiſcu3 ꝗdiu vixeris·
Et illo ꝓtereūte ſauina ꝓſtrauit ſe & orās dixit·
Dn̄e de⁹ qui me ſemp in caſtitate ↄuaſti· nō me ꝑ-
mittas ampl⁹ duris itinerib⁹ fatigari· ſ3 iube cor
pus meū a loco iſto vlteri⁹ nō moueri· Cōmendo
tibi famulam meā· que ꝓpter me tāta ſuſtinuit· et
fratrē meū quē h̄ videre nō potui· da vt in regno
tuo videā· Et ſic finita oratōe anno vite ſue· xlix·
migrauit ad dn̄m· Q̄d vidēs famula ſua grauiter
cepit flere· q2 nichil habebat q̄d ſepulture ſue ne-
ceſſariū erat· Illa autē flente ecce liceri⁹ rediēs ad
vrbem & ſauinā inueniēs iā defunctā ait ad famu
lam ei⁹· Noli flere· Ego vadā & celerius reuertar
ad ſepeliendū eā· Miſit ergo pcōnē p vrbē· Veni
te om̄s inq̄t pegrinā ſepeliendā· q̄ extra vrbē defū
cta eſt· Perrexerūt ergo quicūq3 potuerūt· et ho
norifice ſepelierūt eā· vbi mlier quedā ceca & clau
da & manus aridas habēs cepit integrā ſanitate3

CVIII· ¶ Paſſio ſancti patrocli martiris· ¶ Ex geſtis eius·

Aurelian⁹ quoq3 egrediēs a ptib⁹ vrbis
ſenonice pgens trecaſis audiuit de ſan-
cto patroclo· q̄ extra ciuitatē vir nobiliſ
ſimus habitatoēm habēs· vbi oratōib⁹ & vigilijs
deo ſuiens nulla die reficiebat̄ cibo niſi hora· xij·
Hunc ergo pſcrutās cū inueniſſet nolentē crucifi
xum abnegare & ydolis īmolare· furore cōmotus
ait· Mittite cōpedes ī pedes ei⁹· & cathenas igni
tas in manus· & pſtringite fuſtes in dorſo ei⁹· &
includite eū donec d eo ptractet̄· Quo facto cū
eſſet ī cuſtodia vſq3 ad diē terciū orabat ad dn̄m
Et poſt eductum ī publico poſt multas verboꝝ
altercationes vidēs aurelian⁹ ei⁹ ↄſtātiam iuſſit
eum gladio feriri dicēs· Hunc noxiū & deteſtabi-
lem q̄ nobis ↄfuſionē intulit & deos noſtros ↄtu
meliauit in locum aquoſū ducite· & ibi eu3 decol
late ne corp⁹ ei⁹ in arida requieſcat· Tunc duct⁹
a carnificib⁹ ad amnē ſecane in ripa orauit & di-
xit· Domine ihū xp̄e ne patiaris corp⁹ meū ī hoc
loco aquoſo ꝗquieſcere· ne q̄n dicāt gētes vbi eſt
deus ei⁹· Tūc obſcurati ſunt oculi tenentiū eum·
& ille flumen ingreſſus in aliā ripā exijt & genua
ei⁹ aqua nō ↄtigit· Tunc illi qui cum tenuerāt di-
cebāt· Magn⁹ eſt de⁹ ei⁹ qui liberauit eū· Alij āt
nō ſ3 fantaſma eſt· Illis aūt inuicē ↄcertantib⁹ mu
lier gentilis aduenies dixit· hoiem xp̄ianum que3
queritis vidi in mōte vltra flumē ī terra ꝓſtratū
& orabat deum ſuū· Qui pgentes illuc cū inueniſ
ſent eum orantē vn⁹ ait· Vere tu reus es qui nos
effugiſti· et ecce in manib⁹ noſtris es & morieris
niſi dijs noſtris immolaueris· Qui reſpōdit· De-
mones nō adoro· ſ3 ſolum deū veꝝ ꝓ cui⁹ nomine
multa patimur· & etiā morimur· Tūc genua ī ter
ram flectēs a pſecutore in terrā ꝓſtrat⁹ eſt & gla
dio decollat⁹ dicēs· In man⁹ tuas dn̄e cōmendo
ſpiritum meum· Et hoc· xij· kl· februarij· CIX

¶ De ſancto ſpeoſippo & fratrib⁹ eius Ex geſtis eorum·

Sanct⁹ policarp⁹ eps̄ iohannis apl̄i diſci
pulus· volens xp̄i iuſticiā ampliare· p di
uerſas mundi ptes ſuos dirigebat diſci
pulos· Audiēs vō q̄ malo peior· pnceps pncipi·
ſucceſſiſſ3 in regno· ſ· aurelian⁹ ſeuero· qui cu3 in
gallia⸗ ꝓuintias om̄es xp̄ianos diūſis puniri ſup
plicijs generali ꝓmulgaſſet edicto· decreuit idem
ſanct⁹ ſactos dei andochium & benignu3 pſbite
ros & tirſum dyaconē illuc pdicatōis cauſa dſti
nare viros virtutib⁹ pſtātiſſimos· et in dei amore
diffuſos· ad certaminis agonē ꝓ xp̄i noie feſtinos
Qui nauigātes feliciť· cum ad marſiliēſium litora
peruniſſent eduā ciuitate3 ingreſſi· a fauſto nobiliſ
ſimo viro ſenatoria dignitate gratiſſime hoſpitō
recepti ſunt· Quos cum pcunctaſſ3 eſſe pſbiteroſ
ſupplicit̄ poſtulauit vt familiā ſuā p ablutōe3 bap
tiſmi facerent xp̄ianā· Ipſe āt ꝓpter immmentem
pſecutionem xp̄m colebat occulte· obtulit etiā fili
um ſuum ſimphorianum adoleſcentem ſāctorum
pdicationibus diuina pdeſtinatōe ſuccidiuis tem
porib⁹ pclaꝝ martire3 futuꝝ· Que3 ipo patre de
precāte ſanct⁹ benign⁹ baptizauit· & ſanct⁹ an
dochi⁹ de ſacro fonte leuauit· Tunc idem fauſt⁹
ait ill⁹· Eſt etiā michi ſoror leonilla ciuis vrbis lin
gonice· cui ſunt nepotes ex filio tres gemini fr̄es
ex vno ptu ſimul editi· ſ· ſpeoſipp⁹· eleoſippus· &
meleoſipp⁹ liberalib⁹ literis eruditi· ſ3 paterna tra
ditione adhuc viuentes errore gentili quos dſide
rat ad xp̄i militiā ſociare· Hijs ergo ſanctiſſimi ſa
cerdotes veſtra deuotōne ſubueite· Placuit ergo
eis ↄſilium ut ſanct⁹ benign⁹ ad territoriu3 lingo
nicum illuſtrādum ꝓperar3· ſancti vō andochius
& thirſ⁹ in auguſtudunenſi dyoceſi pdicantes· nō
multo poſt ſb aureliano felici martirio coronati ſūt
Leonilla antem ſanctū benignum ad ſe trāſmiſſū
quaſi manna d celo deſcēdens cu3 om̄i veneratōe

ſuſcepit· Eadē die nepotes eius in agro plaſmaſo
ad ſimulacꝝ dee nemeſis ſacrificia offerebāt· & te
ſupſtitioſis libaminibus auie ſue reſuauerūt· Illa
vō oīa ꝓijciens canibꝰ reſpuit tanꝙ ſtercꝰ· acce
denſqꝫ ad eos cum ſācto benigno dixit· Cariſſimi
nepotes cognoſcite dñm ihesū xp̄m deum eſſe ve
rum & viuū· q̄ mundū ꝯſtituit· q̄ celi altitudinem
extendit ſtelliſqꝫ depinxit· Qui pelagꝰ ꝯgregatū
litoribꝰ coartauit· piſcibuſqꝫ id pambulandū ꝯceſ
ſit· Qui terraꝝ ſpacia dilatauit diuſiſqꝫ arboribꝰ
& graminibꝰ tellurē oīeꝫ veſtiuit· Cui angeli &
oīs creatura ſuitutē reddit· cuiꝰ pietas hūc vi
rum ſāctum benignuꝫ ad nos de longinꝙ regione
trāſmiſit· Attendite ad verba eiꝰ qꝛ dei p̄cepta ſūt
que de ore eiꝰ ꝓcedunt· cūqꝫ hec & multa alia cū
ſācto benigno nepotibꝰ ſuis dixiſſet· illi viſiones
quaſdā quas nocte p̄terita viderant huic eoꝝ vo
cationi ꝑſonas in memoriā ſinguli reuocātes nar-
rauerunt· et ita verbis eoꝝ in fide xp̄i ꝯfirmati ſūt
vt a ſācto benigno baptiſmi lauacꝝ ſuſciperent· &
ydoloꝝ ſtatuas diſſiparēt· Deinde ſāctꝰ benignꝰ
ad caſtꝝ diuionenſe perexit· vbi nō multo poſt co-
ronā martirij ꝓmeruit·                CX·

De paſſione eorundē. Ex geſtis eorum·

Percurrente aūt fama lugdonicā vrbem
tres geminos nepotes leonille ad chriſti
cultū declinaſſe· reqſiti a iudicibꝰ ꝯſtanē
& publice xp̄ianos ſe eſſe aſſerebāt· Ipſos quoqꝫ
tanꝙ cecos & inſēſibiles q̄ metalla & lapides ado
rarent acriter arguebāt· Exurgēs aūt quadratꝰ p̄
ſes· ſpeoſippū & eleoſippū in facies pugno pcuſſit
iratꝰ· Ipſi eñ duo tm̄ locuti fuerāt· Dolēs autem
meleoſippꝰ exclamauit dicēs· cur me hoc ꝑcuſſio-
nis dono cū fratribꝰ meis pticipem nō feciſti· ſed
in illis optabile p̄ncipiū paſſionis oſtendēs· me a
ſācto ꝯſortio ſequeſtraſti· Vnanimes in xp̄i ꝯfeſſi
one ſumus· equaliter de chriſti remuneratione p
veſtrā pfidiā gratulemur· Quadratꝰ reſpondit·
Hodie illos ꝓ ꝯtemptu deoꝝ noſtroꝝ diuſis cru-
ciatibꝰ deinde te punire diſpoſuimꝰ· At illi in cō
feſſiōe chriſti ꝯſtāter ꝑdurabāt· Auia ergo cū la
crimis & oſculis eos viriliter exhortāte· in amore
dei ꝑſiſtētes· cū nullatenꝰ ꝯſentirēt vt ſimulacris
ſacrificarēt· ligatis ſurſū manibꝰ deorſū vō pedi-
bus in arbore vna ſuſpēſi ſūt· Tātaqꝫ tormentoꝝ
adinuentione ſūt extenſi· vt pene putarenē a mem
broꝝ cōpagine ſepari· Meleoſippꝰ aūt inſultabat
iudicibꝰ dicēs· Saluator noſter & dñs ih̄s chriſtꝰ
ꝓ nobis pependit in ligno affixꝰ clauis· Nos ergo
eiꝰ famuli pendētes ī ſtipite crucis ſignaculū ade-
pti· glorioſi martires efficimur· At illi· Nō in iſta
arbore moriemini ſicut vos velle dicitis· ſed igne
vltore pibitis· Tūc preparatis lignis & ceteris fo
mentis copioſꝰ ignis accendiē· ligatiſqꝫ manibus
& pedibꝰ in eo p̄cipitanē· Affuit chriſtꝰ ſaluator
in medio & diruptis vinculis ſācti gloriabanē in
igne· nullūqꝫ ex eis incendia ꝯtingebāt· Videbāt
impij ſāctos inē flamos exultare geminos· & pſe-
uerare illeſos· quos putauerāt tāto incendio ſubi-
to videre ꝯſūptos· et triſtabātur ꝯfuſi· Sancti in
igne ambulabāt· et tandē ꝯſumptis igniū incremē
tis ac deficiētibꝰ flamis· in medio ſtātes pſecutoꝝ
malicias irridebāt· Sed vt maior nō fieret deſide-
rantibꝰ mora martirij· et vt coronas p̄paratas ac
ciperent· vidētes choros angeloꝝ ad ſe excipiēdos
ſtātes patos· flexis genibꝰ in oratiōe ꝓſtrati· ſpiri
tum ſimul emittētes pariter ad celos migrauerunt·

Videns aūt mulier quedā iouilla tā p̄cioſā eoruꝫ
conſumationem· ſp̄reto maritali ꝯſortio· puuli &
vnici filij dulcē relinquēs amplexū· inē incredouli-
tatis turbas adhuc ī pſecutionis ardore cōmotas
veloci curſu ꝓperās exclamauit dicēs· Et ego xp̄i
ancilla ſum· et chriſtū veꝝ deū ꝓnuntio· et ydola
veſtra omino deſpicio· Hijs dictis mox cōprehē-
ſa & a capillis ſuſpēſa· multiſqꝫ afflicta ſupplicijs
cū chriſtū negare coacta nullatenꝰ voluiſſet vna
cū beata leonilla ad locuꝫ martirij deducta· pariter
gladio necate ſūt· Acta ſūt hec ſb aureliano· xvj
kl'· febr· Inuētio aūt ſanctoꝝ corpoꝝ geminoꝝ vl'
dedicatio baſilice eoꝝ· xiij· kl'· octobris·      CXI.

De ſācto benigno p̄ſbitero· Ex geſtis eiꝰ·

Aurelianꝰ impator diuionē ingreſſus ad
videndos nouos muros ibi cōſtructos
iuſſit templum edificari mercurio & ne
paterenē vllū chriſtiane legis ꝓfeſſorē in locis illꝰ
